DE

T. LUCRETII CARI CARMINE

A SCRIPTORE SERIORIS AETATIS DENUO

PERTRACTATO

DISSERTATIO PHILOLOGICA ET CRITICA.

SCRIPSIT

ALBERTUS FORBIGER

PHILOS. DOCT. IN ACAD. LIPS. PRIVAT.

LIPSIAE

PROSTAT APUD C. H. RECLAM.

MDCCCXXIV.

und 6 9 u. 10 95 u. 96 121 u. 122 sind am gehörigen Ort einzubinden.

DE

T. LUCRETII CARI CARMINE

A SCRIPTORE SERIORIS AETATIS DENUO PERTRACTATO

DISSERTATIO PHILOLOGICA ET CRITICA.

SCRIPSIT

ALBERTUS FORBIGER

PHILOS. DOCT. IN ACAD. LIPS. PRIVAT.

LIPSIAE

PROSTAT APUD C. H. RECLAM.

MDCCCXXIV.

und 6 9 u. 10 95 u. 96 121 u. 122 sind am gehörigen Ort einzubinden.

64097

Quod inde ab antiquissimis temporibus obseruatum est, homines auream inter nimium et parum mediocritatem adeo non tenere, vt plerumque alterutram in partem modum excedant, hoc et eo comprobari videtur, quod T. Lucretii Cari carmen de rerum natura didacticum, antehac infinitis paene laudibus ad coelum vsque euectum [1]), iam parum abest quin prorsus obliuioni tradatur. Quod quum a maioribus tam di-

1) Praeter ea, quae ipsi Lucretii editores, inprimis Lambinus, Gifanius, Faber, Creechius, Hauercampus et Wakefieldus de poeta nostro praedicarunt, conf. inprimis Preigeri ad Hauercampum epistola, et quae hic prima statim pagina edit. suae adfert Sabini, Turnebi, Scaligeri, Casauboni et Lipsii de Lucretio testimonia; quibus addi possunt Victorius (ad Cicer. Epp. ad Quint. Fr. II, 11.), Gassendus (de vita et moribus Epicuri p. 42.), Casp. Barthius (Advers. l. XXXVIII. c. 7. p. 1730. L. XLIII. c. 2. p. 1928 ss. et l. L. c. 9. p. 2355 s. idemque ad Statium T. I. p. 260. ss.), Thysius (ad Gellii N. A. 1, 21.) aliique. Longe moderatius et circumspectius, ideoque verius etiam, de eo iudicarunt e. c. Crinitus (de poetis Lat. l. II. c. 19.), Gyraldus (histor. poetar. Gr. et Lat. Opp. T. II. p. 143 ss. ed. Basil. 1580.), Walchius (histor. crit. Lat. linguae p. 32.). Duschius (Briefe zur Bildung des Geschmacks T. II. ep. XIV. s. p. 244. ss.), Benedictus (Observ. ad Lucret. p. 3. s.) imprimisque Meineckius (in comment. altera versioni suae vernaculae praefixa p. 23. ss.), et Eichstädtius (in doctissima de Lucretii vita et carmine dissert., qua editionem suam egregie locupletauit.). Nuper tandem in Knebelio, eleganti interprete suo germanico, Lucretius ardentem rursus nactus est admiratorem.

ligenter fuerit lectum et tractatum, vt per vnum seculum proxime praeterlapsum plures quam triginta eius editiones in lucem prodirent, iam eo deductum est, vt, si exceperis Eichstaedtii editionem, coeptam quidem, sed proh dolor! post plures quam viginti annos nondum absolutam, et iteratas modo Creechianam, Wakefieldianam et Bipontinam, per omnem seculi, quo nunc viuimus, partem transactam ne vnus quidem vir doctus in hoc egregio Romanae antiquitatis monumento denuo typis exscribendo curam operamque collocaret. Sed ne dicam de nouis totius carminis editionibus, quae fortasse maioribus difficultatibus implicitae videantur, ne singulos quidem eius locos in dissertationibus academicis scholasticisue, vel in ephemeridibus philologicis nostrorum temporum, fere vnquam vidi tractatos [2]); quid quod haud pauci iuniorum hominum ad philologiam adspirantium neque legerunt vnquam Lucretium, nec quid scripserit sciunt? Quare quum manifestum sit, poetam nostrum ab his, qui nunc sunt, philologis negligi fere et vilipendi, quaerendum omnino fuerit, num hoc tanto contemtu iste dignus videatur; quod equidem multis de causis longe aliter se habere iudico. Primum enim si verum est, veteris philosophiae accuratam cognitionem vnicuique humaniorum literarum cultori summo studio esse appetendam; vel propterea Lucretium, vtpote philosophiae Epicureae fontem limpidissimum, ex quo

[2]) Vnus modo mihi innotuit eiusmodi libellus modo laudatus, cuius integer titulus sic se habet: Frid. Traug. Benedicti Observationes ad Lucretii Cari carmen de nat. rerum. Annaem. 1815. 8.; nisi huc referri velis flores e poetis Latinis in vsum gymnasiorum delibatos, quibus etiam Lucretii loci quidam, notis criticis instructi, continentur, vt Clar. Nobbii Syntagma locorum parallelorum ex poetis Latinis Lips. 1819. 8. et Orellii Eclogas poetarum Latinorum, Turici 1822. 8.

ad supplenda, explicanda et emendanda paucissima illa Epicuri ipsius fragmenta, quum a Diogene Laertio seruata, tum nuper e membranis Herculanensibus euulgata, viris doctis saepissime sit hauriendum, nullo pacto deserendum et in obliuionem adducendum dixerim. Haud minori idem, animi attentione dignus videtur, quod, quum ineunte aurea latinae linguae aetate scripserit, qua Romanorum sermo, deposita priori asperitate et simplicitate, magis excoli et emolliri inciperet, tamen illum antiquitatis colorem tam diligenter seruare voluit, vt, quomodo veterrimae latinitatis vsus in maiorem perfectionem inflexus sit, ex vllo alio Romanorum scriptore melius non cognoscatur. Neque haec vltima carminis Lucretiani virtus est censenda, quod primum est sublimioris poeseos opus, quod a Romano homine confectum integrum ad nostra tempora peruenit, idemque primum singularis cuiusdam poematum generis, didacticum quod vocant, vnde, perpaucis omnino eiusmodi carminibus ex antiquitate nobis relictis, huius poeseos indolem et naturam optime addiscere possimus. Denique, ut haec omnia taceam, poeta inter Romanos ipsos tantam laudem nominisque celebritatem assequutus, quem Ouidius (Am. I, 15, 23.) *sublimen*, Quinctilianus (de inst. or. X, 1. §. 87.) *elegantem*, Statius (sylv. II, 7. 76.) *doctum*, Gellius (N. A. I, 21.) *ingenio et facundia praecellentem* 3) dicere non dubitarent, cui Cicero ipse 4) non solum *multam artem* tri-

3) Miror Wakefieldum hoc testimonium omisisse, quod iam ab Hauercampo aliisque erat productum.

4) Ad Quint. Fr. II. ep. 11.; quem locum sanandi non meliorem reperi viam, quam ab Ernestio monstratam, Eichstaedtio etiam (de Lucretii vita et carmine p. LXXXVI. ss.) et Schützio probatam, scilicet vt legamus: „Lucretii poemata, vt

bueret, sed nec *ingenium* prorsus abiudicaret, hic ergo poeta vel per se ipsum dignus videtur, ad quem diligenter animum aduertamus, vt eum a variis permultisque vitiis, temporum iniuria ipsi intrusis, liberare pristinamque ad formam, quoad eius fieri possit, reuocare studeamus. Ingenio enim poetico nullo modo destitutum fuisse auctorem nostrum, ex multis locis carminis eius elucet [5]), vbi, vinculis philosophicis decussis, a proposito fine interdum longius euagatus, alienas res et poeticae narrationi aptiores ita cecinit, vt quiuis lector carmine eius delectari possit, vel vbi imagines et comparationes inseruit egregias, quarum optimum quemuis poetam non est quod pudeat; ita ut potius arbitrandum sit, in illis locis, qui, poeticum colorem et ornatum si spectamus, minori tantum vel nulla prorsus laude celebrari possint, ingenium eius carminumque pangendorum facultatem ieiunitate argumenti hebetatam et ad pedestrem orationem depressam esse, quae, si aliam rem sibi sumsisset carmine tractandam, fortasse praeclariori modo nobis illuxisset. Jam vero quum poetae nostro acciderit, vt Epicuri praeceptis toto animo et mente deditus nullam aliam materiam poetica tractatione digniorem putaret, quam hanc magistri sui philosophiam, quumque carminis formam et poeticum ornatum eo tantum fine adhibuerit, vt Memmium, cui proxime dicatum est hoc opus, ali-

scribis, ita sunt, non multis luminibus ingenii, multae tamen artis."

[5]) Conf. inprimis I, 1-41. 251-262. 272-295. 717-734. 921-949. (qui locus repetitur l. IV. ab initio) II, 1-13. 317-332. 352-370. 601-612. 1156-1173. III, 486-504. 907-924. 944-1057. IV, 406. ss. 584-598. V, 22-37. 223-235. 397-405. 736-746. 923-1085. 1217-1234. 1282-1339. 1387-1410. VI, 188-202. 1136-1284. et alii plures trium maxime posteriorum librorum loci, quos hic, vt in omni libello, affero ex numeris versuum in Wakefieldi editione adscriptis.

osque Romanos carminis suauitate ad legenda et amplectenda Epucuri placita facilius adliceret, et de praestantia eorum certius iis persuaderet[6]); hoc certe erit concedendum, quod in animum induxerit, id sic perfecisse, vt melius vix fieri potuerit; semper enim debemus meminisse, didacticum hoc esse carmen, cuius auctor quum ex Epicuri sententia accuratum inprimis et clarum docendi modum curaret, poeticum colorem, vtpote rem secundariam, primario fini putauerit postponendum. Accedit denique, quod, Empedoclis aliorumque Graecorum philosophorum pariter ac Ennii et antiquorum poetarum Latinorum scriptis, e quibus Lucretius hausisse putandus est, temporum iniuria deperditis, poeta noster magis fere, quam vllus alius Romanorum scriptor, sui ingenii homo videtur, qui alium non aemuletur, sed se ipsum sequatur ducem et exemplum; quare licet ego non a quopiam in illud Taciti[7]) „genus hominum, qui Lucilium pro Hora„tio et Lucretium pro Virgilio legunt“ referri velim, hac certe in re vtique Lucretium Virgilio et quotquot ipsum imitati sunt poetis praeferendum esse arbitror. Quae quum ita sint, ne in alicuius reprehensionem incidam, quod inter tam multos veterum auctores Lucretium istum in hoc specimine tractandum ac in eo studiorum meorum primitias offerendas mihi sumse-

6) Clare hoc profitetur auctor I, 141 ss. et 932 ss. (siue IV, 8 ss.), quibuscum locis conferri possunt I, 29. 413 ss. 642 ss. II, 528 s. III, 420 s. IV, 181—183. (siue 907—909.) et VI, 81. Quodammodo huc etiam pertinent querelae illae de linguae Latinae egestate (I, 140. 832. III, 261.), quam Lucretius eo grauius ferret necesse erat, quo magis Memmius, quem potissimum sibi conciliare et in suas sententias adducere studuit, literas Graecas adamauit, Latinarum vero fastidiosus fuit. (Conf. Cic. Brut. c. 70.) Ceterum de Memmio plura vide infra nota 11. commemorata.

7) Dial. de orator. c. 23.

rim, non timeo, inprimis quum post Hauercampi etiam, Wakefieldi et Eichstaedtii curas nunc quoque latissimum aperiat perscrutationis, interpretationis et emendationis campum, in quo philologi, quid humeri valeant quidue recusent, optime demonstrare possint.

De indole autem et praestantia carminis Lucretiani, de auctoris philosophia huiusque ad Epicuri praecepta ratione, de singulorum denique locorum sensu et vera lectione si certum iudicium ferre volumus, ante omnia nobis quaerendum est, vtrum quae hodie sub Lucretii nomine veniunt, omnino sic, vt nunc leguntur, ab ipso profecta sint auctore, an fortasse Lucretii libri praeter vulgares corruptiones, quibus omnia veterum scripta grammaticorum et librariorum culpa inquinata sunt, maiores etiam et grauiores passi sint mutationes et corruptelas; quae quidem quaestio argumentum erit huius qualiscunque dissertationis. Fateor enim, ex quo primum Lucretii carmen studiosius perlegerim operamque meam ei nauauerim, plures mihi oblatas esse causas suspicandi, nobis in his sex de rerum natura libris non vnius Lucretii, sed duorum scriptorum longe diuersorum manum agnoscendam, ideoque hunc etiam auctorem iis adnumerandum esse, quorum scripta a serioribus multis in locis mutata, aucta vel contracta, emendata vel corrupta, denique longe alia ab ea, quam auctor ipsis dederit, forma induta ad nostra tempora peruenerint[8]); quam

---

[8]) Constat hoc de omnibus *Homeri* et *Hesiodi* scriptis (de quibus praeter editores vid. Ill. Beckii Observ. critico-exeget. V. p. V. ss.) De *Aristotelis* et *Theophrasti* operibus idem iam referunt Strabo l. XIII. p. 609. Cas. (p. 906. Almel.) et Plutarch. in Sulla c. 26. (conf. etiam, quod Aristotelem attinet, Baylii Lexicon s. v. Tyrannion et Buhlii praef. p. XVII. ss., de Theophrasti charact. vero Ill. Be-

suspicionem postea studiosius et libentius sum persequutus, quum, quod mihi exoptatissimum erat, viderem, iam ante me virum mea laude longe maiorem, Eichstaedtium, in eandem opinionem incidisse. At vero hic Vir celeberrimus quum causas huius coniecturae in Comment. de vita et carmine Lucretii, editioni suae praemissa, innuerit modo, non acuratius

kii Observ. crit. exeg. I. p. IX. not. 19. II. p. VI. not. 11. et V. p. VIII. ss.); quo pertinent etiam quae de *Hippocratis* operibus narrat Galenus περὶ δυσπνοίας l. III. init. et de nat. hum. l. I. p. 4. Bas. (conf. Villoison. Anecd. Graeca Vol. II. p. 136, in nota). Ceterum inter eos, qui ab interpolatoribus maxime vexati sint, referuntur e Graecis: *Anacreon* (v. Fischeri praef. ad edit. II. ab initio); *Theocritus* (cf. Valkenar. epist. ad Roever. p. 13. ss. Eichstaedtii diss. de carminum Theocr. indole ac virtutibus p. 26. ss.); *Tragici* et *Aristophanes* (praeter editores vid. Boeckhii doctiss. liber de Graecae tragoediae principibus c. 3. 12. 18. etc.); *Epictetus* (cf. Heynii diss. de Enchiridii lectione et recensu ab init. et Schweighäuser praef p. XCII. ss.); *Diogenes Laertius* (cf. Rossii Commentatt. Laertianae §. 5. p. 21.) alii; e Latinis vero: *Plautus* et *Terentius* (vid. Osanni Anal. crit. c. 8-10. p. 141-204.); *Virgilius* (praeter Heynium ad permultos locos vid. Weicherti diss. de versibus aliquot Virgilii et Val. Flacci etc. p. 60. s. et p. 76. ss.); *Lucanus* (cf. Weberi diss. de spuriis et male suspectis L. versibus, Vol. II. editionis addita); *Claudianus* (v. Gesneri proleg. p. XII. s. et Koenig. in proleg. p. 81. s.) aliique.

Minus iniqua sors eorum est censenda, quorum Codices, interdum admodum mendose venientes, a grammaticis et serioribus viris doctis correcti et emendati, saepe vero etiam corrupti et interpolati sunt; quod constat inprimis de *Herodoto*, *Thucydide* et *Philisto* e Porphyrii Quaest. Homer. p. 18. edit. Argent. 1539.; de *Arato* (conf. Hipparch. in eius vita p. 109. ed. Florent.), *Aristotele* (vid. Buhlii praef. l. l.) et aliis Graecis; inter Romanos vero de *Terentio*, *Virgilio*, *Horatio*, *Julio Caesare*, *Liuio*, (de quibus omnibus vid. Va-

demonstrauerit, quippe qui omnem hanc disquisitionem commentario reseruasse videatur, etiamnum omnibus cupide desiderato, et quum mihi, licet in principio rei prorsus cum viro doctissimo consentienti, in decursu tamen viae ab eo recedendum fuerit, non superfluum, puto, aut temerarium videbitur, quod hanc meam opinionem et illis argumentis ab Ill. Eichstaed-

---

tesius in art. crit. l. I. c. 34. Fontaninus in vind. diplom. p. 37. et quod Liuium attinet etiam Sirmond. ad Sidon. Apoll. VIII, ep. 3. p. 81. et Niebuhr ad Ciceronis fragm. Romae 1820. p. 62.); *Catullo* (cf. Martyni-Lagunae censura edit. Doering. Ephem. liter. Jenens. a. 1790. inserta n. 172. p. 655.) *Tibullo* (vid. Huschkius in praef. p. XII, ss. et ad II, 3, 14. 75.) *Propertio* (siquidem vera sunt, quae Alexander ab Alexandro refert Geniall. Dierr. l. II, c. 1. extr. p. 137. s. edit. Paris., qua de re conf. Cl. Nobbii Obserrv. in Propert. p. 10. ss.), *Tacito* et *Apuleio* (conf. Fabricii Bibl. Lat. T. 1. p. 236. ed. Ern.) aliisque pluribus. (Conf. de omni hac re inter veteres ipsos Strabo et Porphyr. ll. cc. Cicero ad Quint. Fr. III. 5. Quinctil. inst. or. I. c. 4. §. 3. Sueton. de ill. gramm. c. 24. [vbi vid. Pitiscus aliique Interpp.], Gellius N. A. I. 21. et XVIII. 5. Sidon. Apollin. V. 15. Symmachus Epist. I. 24. et IX. 13.; inter recentiores vero praeter Villoison. Fontan. et Sirmond. ll. dd. Burmann. ad Valesium p. 180. Barth. Aduers. l. XXIX. c. 11. Vossii Aristarch. I. c. 6. p. 27. s. edit. a. 1662. Wowerii Polymath. c. 18. Walch. histor. crit. linguae Lat. p. 180. s. Clerici Ars critica P. III. sect. I. c. 2. [Vol. II. p. ss.] Schraderi Emendatt. p. 191. Wolf. ad Hesiodi Theog. p. 54. Ruhnken. Epist. crit. I. p. 7. s. Markland. ad Eurip. Suppl. p. 261. etc.)

Longe autem diuersam esse eorum rationem, qui scripta sua aut tota aut ex parte ipsi denuo pertractauerint et magis minusve mutata et correcta iterum ediderint, non est vt moneam. Quod viri docti suspicati sunt v. c. de *Aeschylo* in Eumenid. (v. Boeckhii lib. laud. c. 4., in cuius c. 2. idem de aliis etiam Graecorum poetis scenicis statuitur.) *Aristo-*

tio iam indicatis accuratius tractandis et nouis quibusdam addendis, quoad per vires licuerit, probabilem reddere in animum induxi. Quare ne diutius lectorum patientia abutar, iam suspicionis meae argumenta ipsa ex ordine proferam, quibus expositis, quid mihi velim et cur Ill. Eichstaedtii coniecturam certe non omni ex parte probare possim, eo clarius apparebit.

---

phane in Pluto et Nubb. (conf. Hemsterh. ad Plut. p. 270. et celeberr. Hermannus in praef. ad Nubb. p. XX–XXIX.) *Euripide* in Medea (v. Boeckh. l. l. c. 13. et Osanni Anal. crit. p. 81. ss.) *Xenophonte* in Cyropaedia (vid. Fischeri Commentar. p. 30. 242. 345. 370. etc. et Kuinoel. in praef. p. VIII., quem tamen refellerunt Bornemann. in Proluss. de gemina Xenoph. Cyropaediae recensione Schneeb. 1814–17. et Poppo in Disput. edit. suae praemissa c. 2. p. XXIV. ss.) *Apollonio Rhodio* (cf. Ruhnken. Epist. crit. II. p. 190. Ill. Beck. Observ. crit. exeg. I. p. VI. et in praef. ad edit. a se instit. p. X. Gerhard. Lectt. Apollon. p. 3–62. Weichert. Ueber d. Leben u. Gedicht des Apoll. Rh. p. 52 ss.) *Maximo Tyrio* (v. Markland. in praef. p. XXII. ed. Reisk.) *Cicerone* in Academ. certe et Oratt. (conf. Schützii proleg. ad Academ. p. 4 ss. et Hülsemanni proleg. ad eadem p. 35. ss., qui Ciceronis ipsius testimonia collegerunt) *Catullo* (cf. Martyni-Laguna in cens. laud. n. 175 p. 675.) *Virgilio* (v. Weichert. l. l. p. 75.) *Lucano* (v. Grotius ad VI, 187. VII, 746. idemque et Bentlei. ad VI, 556. Oudend. in praef. p. 2. extr., quibus tamen aduersatur Weber. l. c. p. 431. s.) *Claudiano* (conf. Gesneri proleg. l. l., a quo vero dissentit Koenig. l. c. p. 78.) et aliis. Admodum caute tamen hac in re diiudicanda versandum esse monuerunt praeter alios Poppo h. l. et nuper demum Celeberr. Beckius in observ. histor. et crit. II. p. 8. s.

I.

Quemuis igitur Lucretiani carminis lectorem, paullo intentius in eo occupatum, offendere debent non solum singuli versus, sed longae adeo versuum series, quae aut iisdem verbis, aut connexus causa hic ibi paullulum mutatae, bis, ter, saepius in variis locis repetuntur[9]. Iam licet probe sciam, alios etiam

---

[9]) Qua de re vt certum ferri possit indicium, indicem omnium illarum repetitionum, quas equidem indagare potui, adscribere placet, in quo, vt breuitati consulatur, aequalitatis signum, quo mathematici vtuntur, liceat adhibere.

A. Loci, qui, apud Wakefieldum certe, sine omni mutatione iterantur:

α) longiores vel certe binorum versuum loci:

I, 57-62. = II, 645-650; I, 77. 78. = I, 596. 597. = V, 90. 91. = VI, 64. 65; I, 154. 155. = VI, 55. 56. = VI, 89. 90; I, 671. 672. = I, 792. 793. = II, 752. 753. = III, 518. 519; II, 54-60. = III, 87-93. = VI, 34-40. (cf. etiam I, 147-149.); II, 477. 478. = II, 521. 522; III, 746. 747. = III, 764. 765; IV, 63. 64. = IV, 100. 102; IV, 128. 129. = IV, 175. 176; IV, 181-183. = IV, 907-909; IV, 775. 776. = IV, 801. 802; V, 83-91. = VI, 57-65. (vid. etiam locus supra positus I, 77. 78.); VI, 55. 56. = VI, 89. 90.

β) singuli versus:

I, 189. = II, 706; I, 430. = I, 532; I, 549. = I, 610. (cf. etiam I, 575. et II, 156.) I, 638. = II, 176; I, 674. = I, 797. = II, 755. = II, 863. (cf. locus I, 671 ss. sub α. laud.); I, 686. = II, 1020. (cf. etiam I, 635.); I, 1003. = V, 1215; I, 1079. = II, 237; III, 326. = V, 555; III, 372. = V, 621; IV, 51. = V, 880; IV, 589. = V, 1384; V, 380. = V, 1216; V, 529. = V, 1344.

vtriusque linguae scriptores interdum versum aliquem vel plane iisdem verbis, vel vno alteroue mutato, alio loco repetiisse [10]), illarum tamen repetitionum, quae

---

B. Loci, qui magis minusue mutati repetuntur:

α) longiores loci, vel certe disticha;

I, 212. 213. = V, 211. 212; I, 490. 491. = VI, 227. 228; I, 636. 637. = I, 706. 707; I, 739. 740. = V, 112. 113; I, 789-793. = II, 749-753. (cf. locus sub A. α. laud. I. 671. s.); I, 817. 819. = I, 907-909. = II, 759-761. = II, 1006-1008; I, 820. 821. = II, 1014. 1015; I, 820. 821. = II, 1014. 1015; I, 823-826. = II, 687-690; I, 918. 919. = II, 975. 976; I, 925-949. = IV, 1-25; I, 1020-1022. = V, 420-422; II, 12. 13. = III, 62-63; II, 29-33. = V, 1391-1395; II, 162. 163. = IV, 208. 209; II, 177-181. = V, 196-200; II, 336. 337. = II, 722. 723. = II, 724. 725. = IV, 653. 654; II, 1060-1062. = V, 430-432; III, 31-34. = IV, 26-29. (cf. etiam II, 333. 334.); III, 785-798. = V, 129-142; III, 807-829. = V, 352-374; IV, 171-174. = VI, 250-253; IV, 218-230. = VI, 923-935; V, 188-192. = V, 423-427; V, 267. 268. = V, 389. 390; V, 270-273. = VI, 635-638; V, 1387. 1388. = V, 1453. 1454. VI, 86-88. = VI, 382-384.

β) singuli versus:

I, 136. = IV, 738; I, 483. = I, 506; I, 675. = I, 758; I, 880. = V, 407. (coll. II, 644. et VI, 767.); I, 1025. = V, 429; II, 632. = V, 1314; II, 725. = II, 1019. (cf. etiam I, 634.); III, 624. = III, 670; V, 521. = VI, 199; V, 831. = V, 1277; V, 864. = VI, 1235; V, 931. = VI, 1251. Ceterum non in omnibus his locis Wakefieldi rationem probo, qui saepius e paucis quibusdam Codd. variantes recepit lectiones, quas aliae membranae et loci paralleli refellunt, ita vt plures huius secundae classis loci repetiti rectius ad priorem versuum non mutatorum referantur.

10) Conf. Wunderlichii Epist. ad Heeren. praemissa edit. Virgil. Heyn. min. p. VIII. Voss. ad Virg. Geo. II, 129. p. 323. et qui hos laudat Weichertus, docte hac de re disputans in dissert. de verss. aliquot Virg. et V. Flacci p. 65-69. Adde: Boeckh. de trag. Gr. princ. p. 247;

in Lucretii carminibus occurrunt, prorsus diuersa est ratio; siquidem hic non, vt in aliorum scriptis, idoneis de causis et raro tantum singulos versus repetitos legimus, sed in quauis fere pagina et nulla prorsus causa iubente, non modo singulos versus, sed perlongas plurium versuum periodos iterum tertiumue redire deprehendimus. At Homerus tamen longiores etiam locos passim repetere non dubitauit. Audio; sed illius exemplum plane non valet ad excusandas Lucretii repetitiones. Primum enim carmina illa Homerica non ab vno homine conscripta esse constat, deinde quas iam natura eiusmodi rhapsodiarum, non legentibus, sed audientibus compositarum, excusat certe iterationes, has postulat adeo illorum temporum hominumque simplicitas, cui quam maxime conuenit, vt quae ab alio audita, mendata et praecepta sint, iisdem etiam verbis repetantur; quare quum in Homericis carminibus orationes virorum principum, deorum inuocationes, sacrorum rituumque publicorum enarrationes, publice mandata, imperatorum edicta vel alios publicos nuntios repetitos videamus, laudandi potius quam vituperandi sunt eorum auctores. Qui vero in Lucretii carmine iterati leguntur loci partim nihil nisi imagines et comparationes continent ad or-

---

Musgrav. ad Eurip. Heracl. 222. 223. Kiessling. ad Theocr. III, 20. Heyn. ad Virg. Geo. II, 43. Doering. ad Catull. III, 4. (quem tamen versum a librario quodam e II, 1. huc translatum esse rectius statuisse videtur Sillig.) In Lucano tamen Weber. (Vol. II. p. 606. edit. suae) omnes eiusmodi repetitiones spurias censet. Versus autem intercalares, apud Theocritum, Catullum aliosque saepius repetitos (de quibus docte disputarunt Ahlwardus in libro: Zur Erklärung der Idyllen Theokrits. p. 121. s. et Eichstaedt. in Quaestionum philol. Spec. p. 38. ss.) huc non pertinere, quisque, vel me non monente, videt.

natum poeticorum pertinentes (v. c. II, 54-60. IV, 181-183. in nota 9. sub A. α., vel I, 925-949. et II, 29-33. sub B. α. allati,) quae, quum primum leguntur, placere et delectare possunt, saepius vero recurrentes admodum languere et taedio esse debent, partim vero philosophica dogmata et obseruationes inde ductas complectuntur (vt I, 57-62. IV, 218-250. V, 83-91. supra sub A. α., vel I, 817-819. II, 177-181. III, 31-34. III, 785-798, V, 188-192. sub B. α. commemorati), quae licet paullo mutatae et inflexae atque ad alias interdum res accommodatae repetantur, quum lectoris memoriae ex alius loci lectione necessario obuersentur, et ipsae tam molestae, tam frigidae sunt censendae, vt cum illis Homericis neutiquam comparari, nec omnino poetae paullulum praestantiori iure tribui possint. Quid vero? num omnis huius operis indoles et natura, num illi inprimis, quos supra nota 5. attulimus, loci eiusmodi produnt poetam, cui versus consuendi labor tam molestus fuerit et difficilis, ut nouam quandam rem expostituro ad alium similem locum redeundum esset, cuius verba aut integra, aut, si sensus et connexus flagitaret, magis minusve mutata in alterum transferret? an tam fatuum et insulsum se praebuit auctor, vt eum, si quo in loco praeter exspectationem sibi rem successisse viderit, ingenti laetitia affectum et vana sui ipsius admiratione ductum, hos versus pulcherrimos, ne non a lectoribus penitus gustati praeterirent, nunc hic nunc illic rursus intexuisse arbitremur? Anne fortasse eiusmodi languidis et otiosis iterationibus suauitatem et elegantiam carminis augeri putauit? an Memmium, qui ipse fuit poeta et orator haud vulgaris [11]), sic eo

11) C. Memmium Gemellum, Lucii fil., virum sua aetate admodum clarum, cui, vtpote familiari suo et clienti (Cic.

certius sibi conciliaturus, eo facilius ad suam philosophiam adducturus sibi visus est? Imo ne Memmium, quem ob nimium Graecarum literarum amorem Latinas omnino fastidire notum erat, hac ratione ab Epicuri placitis prorsus absterreret potius, quam ad ea amplectenda adliceret, ei fuisset metuendum. Quare non omnem solum venusti et elegantis sensum cunctamque versus pangendi peritiam et facultatem, sed omnem etiam prudentiam, omne iudicium Lucretio abiudicare nos oporteret, si illos locos vniuersos ab eo ipso repetitos esse credere vellemus. Quod licet nullo modo concedere possim, quarundam tamen repetitio-

---

ad Fam. XIII. ep. 19.) Cicero tres illas scripsit epistolas, quae Epist. ad Div. l. XIII. ab initio leguntur, vt in Ciceronis scriptis saepe commemoratum reperimus, sic inprimis e Bruti c. 70. hominem literis, Graecis maxime, perfectum, argutum et dulcem oratorem, sed nimis inertem, nec laboris patientem fuisse intelligimus; quod de eo iudicium ex parte certe comprobat Sueton. in Caes. c. 42. et 73.) acerrimum et mordacem eum depingens oratorem. Poeticam denique, cuius mentionem feci, quod attinet facultatem, nihil obstare videtur, quin nostrum eundem habeamus cum illo Memmio, quem Gellius N. A. XIX, 19. durum, Ouidius Trist. III, 433. et Plinius Epist. V, 3. parum castum poetam perhibent; dulcem enim et bonum oratorem propterea non esse elegantem et eximium poetam, vel Ciceronis ipsius exemplum luculenter demonstrat; quae autem Ouidius et Plinius de indole carminum illius Memmii produnt, haec optime congruere videntur cum moribus nostri, vt a Cicerone Epp. ad Att. 1. 18. et Suetonio de illust. gramm. c. 14.: (quibuscum conferri potest Catull. X, 12. et XXIX, 9.) describuntur. De muneribus vero publicis ceterisque fatis Memmii praeter Lambini et Gifanii Prolegg. de Memmio et gente Memmia, editionibus Lucretii praemissa, conf. Gerh. Vossius de poetis Lat. p. 15. et Gyraldi hist. poetar. Gr. et Lat. p. 143. s. — Ceterum Lambini et Gifanii opinioni, e prima Ciceronis ad Memmium epistola et hoc ipso Lucretii opere susceptae, virum il-

num Lucretium ipsum auctorem esse, neutiquam negauerim, quum in iis plures etiam comprehendantur loci breuiores, qui natura suâ ita sunt comparati, vt nemo in iis repetitis offendere possit. Huc refero primum omnes eiusmodi formulas, quae in demonstrationibus philosophicis adhibitae, inseruiunt tantum sententiis nectendis vel clausula quadam finiendis, v. c. I, 430. (coll. I, 532.):

Id quod iam supra tibi paullo ostendimus ante;

vel IV, 51. (siue V, 880.):

Id licet hinc quamuis hebeti cognoscere corde,

et I, 674. (coll. I, 797. II, 755. II, 863.):

———

lum eo iam tempore, quo Lucretius carmen suum ei dedicaverit, Epicuri philosophiae deditum fuisse, omnia aduersantur. Primum enim ex epistola illa, quam Cicero in Ciliciam proficiscens, ergo a. v. 702., Athenis scripsit (cf. Epist. ad Att. V, 11.), etiamsi sequeretur, Memmium, tum exulem, vere Epicureum fuisse, tamen colligi non posset, hunc iam circa annum 696., quo tempore Lucretii carmen editum videri infra docebimus, Romae adhuc versantem, Epicureorum sectam amplexum esse; sed ne illo quidem exilii tempore Epicuri partes eum vere sequutum esse, e Ciceronis epistola concludi potest, ex qua hoc tantum apparere videtur, intercessisse ei, dum Athenis versaretur, amicitiam cum Patrone Epicureo, quae tamen interrupta esset Memmii consilio, ruinis aedium Epicuri nouum quoddam aedificium superstruendi, reluctante scilicet Patrone, qui ipse ut aedes illae sibi concederentur optauerit: quare vnde viri illi Memmium ipsum Epicureum fuisse et in Epicuri honorem aliquid aedificare voluisse intellexerint, non perspicio. Deinde vero magis etiam opinioni isti totum opus Lucretianum refragatur, inprimis loca I, 103. s. et 141. ss., quae auctor scribere non potuisset, si iam tum Memmius fuisset Epicureus. Quare veri similius videtur, hunc, vt plures illa aetate viros doctos inter Romanos, proclivem quidem fuisse ad Epicureorum philosophiam, sed nondum certum eos sequendi consilium cepisse, in quo vt eum confirmaret Lucretius hoc carmen scripsisse putandus est.

Ne tibi res redeant ad nihilum funditus omnes.
Porro huc pertinere videntur dogmata quaedam et conclusiones philosophicae tam certae et firmae, vt, quum in iis ipsis nihil mutari possit, verborum etiam, quibus contineantur, non opus sit mutatione, quales legimus e. g. I, 549. (coll. I, 610. I. 575 et II, 156.:

Sunt igitur solida primordia simplicitate;

I, 671. 672. (coll. I, 792. 793. II, 752. 753. III, 518. 519.):

Nam quodcunque suis mutatum finibus exit,
Continuo hoc mors est illius, quod fuit ante,

et alibi; vel solennes quaedam notionum et verborum explicationes, ut illa accuratior vniuersi seu omnis definitio, quae V. 329. et 1344. sic occurrit:

In variis mundis varia ratione creatis.

Aliae denique repetitiones tam faciles sunt et naturae rei tantopere conueniunt, ut fortasse auctorem ipsum latuisse credibile sit, quemadmodum verba illa III, 624. (quae repetuntur v. 670.):

Praeterea si immortalis natura animaï est;

vel I, 189. (coll. II, 706.):

Quorum nihil fieri manifestum est, omnia quando;

vel III, 326. (qui versus legitur etiam V, 555.):

Nam communibus inter se radicibus haerent,

et alia similia.

Quos versus vt libenter concedo a Lucretio ipso non in vno tantum loco scriptos esse, sic alios etiam librariorum vel negligentia et inertia, vel vana quodam eruditionis iactantia repeti potuisse, non est, quod infitias eam; in quam tamen suspicionem non nisi breuiores locos et quorundam certe codicum auctoritate destitutos incurrere puto, quum longiores illae repetitiones, in omnibus libris MSS. obuiae, librariis, qui hoc in aliis scriptoribus sibi non indulserunt, nec mutationes istas, ipsorum doctrinam interdum longe superantes, facile facturi fuissent, vix

tribui posse videantur. Haud igitur dubitandum est de locis nonnullis a librariis male repetitis, quos, vtpote ab editoribus recentioribus non receptos, in recensu repetitionum supra exhibito omittendos, hic vero breuiter indicandos esse duxi. Sic igitur l. I. v. 763. *Fulmina* etc. in Codd. Voss. I. et II., (in quorum altero tamen eadem manu deletus est), Vind., Cantabr. et Bodl. pariter ac in editt. Veron. et Veneta sine omni sensu repetitur post v. 769., ea tantum mutatione, vt in Codd. Voss. pro *videre* legatur *cohire*, quod verbum haud dubie e versu sequente et in eandem vocem exeunte huc irrepsit. Porro l. III. v. 678. *Interiisse* e. q. s. in Codd. Vind., tribus Mus. Brit. cunctisque editt. a Brix. vsque ad Ald. II. prorsus intempestiue legitur etiam post v. 672. insutus. Pariter quem l. IV, 803. legimus versum *Et quia tenuia* etc., Codd. Voss. I. II., Cant., Bodl., Poorii MS. ac editt. Brix., Ver., Ven. post v. 806. rursus scriptum exhibent, deceptis, vt puto, librariis vtriusque loci similitudine in verbis *tenuia* et *cernere* posita; sicut eiusdem libri v. 1028. *Qui ciet* etc., primis hisce verbis in *Incitat* mutatis, in MSS. Voss. II., Vind., Cant., Poor. et editt. vsque ad Junt. omnibus post v. 1040. iteratur. Non minus l. V. v. 763. *Menstrua* e. q. s. in libro Cantabr., tribus Mus. Brit. Codd., Poorii MS. et editt. Veron., Bonon., Junt. et Ald. II. rursus apparet post v. 769. insertus. Porro l. VI. v. 993. 994. *Scilicet id fieri — ostendimus ante*, in Codd. Vind., Fragm. Vind., Cantabr., duobus Mus. Brit. et Poorii MSS. sicut in editt. Veron., Ald. I., Bonon. et Junt. [12])

---

[12]) Cod. Vindob. enim et edit. Bonon. non excipere debuisset Wakefield., qui omnino hic falsus est, etiam in adferendis versuum repetitorum numeris. Ceterum mirum est, Gerar-

praeter hunc locum iam post v. 987. interpositi leguntur, ita vt iis adhaereat v. 995., infra tamen non iteratus; quos versus, quum hic etiam ad sensum bene se habeant et verisimilius sit, librarios e superiori in inferiorem locum eos transtulisse, quam contra, in priori loco equidem praeferrem, nisi ab vtroque libro Voss. optimo in altero tantum exhiberentur, quo, ne omnis sententia iusta clausula destituatur, vtique melius positi videntur. Addo denique duos alios versus, qui, licet in omnibus editionibus iterentur, in altero tamen loco a Wakefieldo spurii sunt declarati. L. IV. enim v. 175. 176. *Quorum quantula pars* etc. quum in nonnullis tantum editt. vett., vtraque Aldina, Bonon. et Junt., quas seriores omnes temere sequutae sunt, supra iam post v. 127. inserantur, nostro tamen loco recurrentes, ab illo, de quo alibi dicetur, vtique secludendi videntur. De alio autem loco, I, 57-62. (siue II, 645-650.), quem editores quidam pariter a librariis iteratum voluerunt, infra paullo aliter statuendum esse videbimus.

Praeter hos enim locos, quos hactenus considerauimus, alii quam plurimi ita repetuntur, vt vel a Lucretio ipso, vel a librariis hoc factum esse mihi non persuadeam, quod tum inprimis acriter negandum puto, quum periodi admodum longae locis plane alienis iterantur, ita vt sententiarum nexum miro

---

dum, qui Wakefield. editioni alteri (Glasguae 1813. IV. Voll. 8.) accuratam, vt videtur, et diligentem adiecit editt. Brixiensis, Veronensis, Venetae a. 1495. et Aldinae I. cum Bipontina a. 1782. collationem, altum tenere de hoc loco silentium, quum tamen verisimillimum sit, vt in Veronensi et Aldina I., quam ipse inspexi, sic in Brixiensi quoque et Veneta (quae tantum non vbiuis Veronensem sequitur,) eandem inueniri versuum illorum repetitionem.

modo turbent et corrumpant, vel certe flumen orationis temere cohibeant et remorentur. Haec omnia loca in tria genera dispescere placet, primum eorum, quae ex vno alio et solo loco aut sine vlla, aut cum leuiori modo aliqua mutatione repetita sunt, alterum, ea complectens, quae et ipsa e singulis modo locis iterata, sed magis variata reperiuntur, tertium denique, loca continens e pluribus repetitis studiose consarcinata ita, vt magis minusue mutarentur.

I. Pertinet ergo ad prius genus longus ille locus I, 925-949., quem, si ab vltimo hemistichio et tribus aliis verbis v. 932, 941 et 948. discesseris, de quibus infra videbimus, totidem literis repetitum vides l. IV. ab initio, vbi tam aptus et conueniens, quam hic absonus et inconcinnus censeri debet. Huius enim libri prooemio v. 149. iam finito, quum auctor, singula philosophiae suae dogmata exponere dudum exorsus, in praecedentibus iam dixerit, ex nihilo nihil oriri (v. 150 ss.), nec quidquam prorsus interire (v. 216 ss.), porro praeter corpora vacuum etiam adesse spatium (v. 330 ss.), nec tertium aliquid posse cogitari (v. 431 ss.), sed omnia, quae in vniuerso appareant, aut ex his duabus rebus mixta, aut eorum euenta (v. 450 ss.), atomos vero aeterna et immutabilia semina rerum habendos esse, quorum concursu omnia exoriantur (v. 484 ss.), quod praeceptum ansam ei dedit refellendi aliorum quorundam philosophorum sententias de rerum elementis, Heracliti scilicet, ignem omnium rerum principium esse contendentis (v. 636 ss), Empedoclis, qui quatuor sumserit elementa (v. 713 ss.), et Anaxagorae, ὁμοιομέρειαν, quam vocant, sibi fingentis (v. 830 ss.); haec igitur omnia vbi iam tractauit, sequitur exordium illud sublime et verbosum, quod admodum pulchre et eleganter describit consilium auctoris, obscura et difficilia philosophiae

Epicureae dogmata suaui et iucundo carmine tradendi, quo lectoris animum, ab omni superstitione et metu inde exorto liberatum, ad amplectendam et fouendam philosophiam magistri sui facilius commoueat et sibi ipsi aeternam paret gloriam et laudem. Quorsum igitur, quaeso, in fine paene totius libri, singulis Epicuri placitis dudum iam exponi coeptis, tumidum hoc prooemium, quo tamen plane nihil continetur, quam quod longe aptiori loco supra iam v. 137-149. dictum inuenitur? Sequitur fortasse praeceptum quoddam admodum graue et obscurum, plane nouum et Epicuro proprium, quod eiusmodi praeparationem non modo excuset, sed necessario etiam flagitet? Minime vero; nihil enim aliud ei adnectitur, quam, quo omnis liber finitur, placitum illud satis notum, vniuersum nullis limitibus esse circumscriptum, ideoque nec de medio eius cogitandum, in quod omnia nitantur. Quod quum iam ante Epicurum a Melisso, Empedocle, Leucippo, Democrito [18]) aliisque propositum et Memmio, graecis literis innutrito, satis cognitum esse deberet, nec aliis Romanis, philosophiae haud ignaris, adeo nouum videri posset, plane non intelligitur, cur huic potissimum dogmati cum prioribus nectendo talibus opus fuerit ambagibus, magnam eorum, quae sequutura sunt, mouentibus exspectationem, cui quae vere subnectuntur, minime respondent. Porro quum non obscura tantum, noua et difficilia praecepta exspectare iubeat locus ille interiectus, sed v. 950 s. de religione quoque et superstitione quaedam praenun-

---

[18]) Vid. Excell. Krugii Geschichte der Philosophie alter Zeit etc., vbi omnia veterum de his philosophis testimonia diligenter inuenimus collecta, et de Melisso quidem p. 121. s., de Empedocle p. 131. s., de Leucippo p. 135. s., de Democrito p. 137. s.

tiet, haec pariter non conuenire videntur cum sequentibus, in quibus ne vno quidem verbo harum rerum fit mentio. Latius enim non patere hoc prooemium, nec nisi ad hoc ipsum vltimum huius libri dogma de vniuerso nullis finibus concluso referri posse, vt per se iam consentaneum est, ita ex eo intelligitur, quod liber secundus suo etiam incipit exordio, quo plura, quae hic dicuntur, auctorem repetiisse et de misera inprimis vulgi superstitione, ex ipsa Epicureorum mente velut deprompta, pluribus disseruisse videmus. Accedit denique, de quo fusius dicendi alii loci occasionem praebebunt, anxium studium singularum quarundam vocum mutandarum, ne prorsus idem videatur locus bis adhibitus, quod a graui Lucretii simplicitate prorsus alienum puto, qui potius, si omnino hoc sibi indulsisset, vt longiorem quendam locum alibi etiam repeteret, vt equidem ipsum cognouisse mihi videor, sine omni mutatione eum transscripsisset. Nostro igitur in loco quae v. 932. legitur vox *pango*, vtpote vsitatior et notior in hac verborum compositione substituta videtur antiquiori, quae l. IV. v. 8. exhibetur, lectioni *pando* [14]), quod verbum quum Lucretio aliis in locis (I, 50. et V, 55.) vsurpetur de rebus obscuris clare exponendis, hic etiam de ipsis carminibus, obscura et difficilia pla-

---

[14]) Haec enim apparet in vtroque libro Voss. praestantissimo; Cod. Bodl. et editt. Veron. Ald. I. Bonon. et Junt. (quibus si Brix. quoque et Venet. addiderim, vix a vero aberrem, quum Gerardus, qui in Veron. et Ald. adferenda iterum oscitauit, illas etiam neglexisse iure existimari possit); ita ut altera lectio, quam Wakefieldi membranae cum Cod. Vind. et Ald. II. exhibent, a librariis, vulgaria praeferentibus, e loco parallelo libri I. illata videatur; quare non probo, Eichstaedtium et Orellium (Eclog. p. 38.) hic etiam vocem *pango* reuocasse.

cita illustrantibus, dictum mihi quidem prorsus Lucretianum et alteri scripturae videtur praeferendum; sicut etiam vocem *facto*, v. 941. obuiam, suppositam habeo verae lectioni *attactu* [15]), quam in loco parallelo v. 17. Codices praebent. Quum enim sensus esse videatur: Quemadmodum medici, pueris austera medicamina daturi, marginem poculi melle contingere et circumlinere solent, non vt illi temere decipiantur, sed vt hic ipse attactus poculi melle conditi, quo solo ad amaram quidem sed salutarem potionem absorbendam commoueri possint, iis causa fiat valetudinis recuperandae; sic ego quoque philosophiae meae expositionem Musaeo quasi melle contingo et imbuo, vt carminis lepore allectus et detentus, difficilia et obscura philosophiae praecepta eo facilius et libentius percipias; lectio illa *attactu* longe exquisitior et elegantior mihi videtur, quam altera, pedestri orationi nimium accommodata, ita vt illam potius a Lucretio ipso profectam, hanc vero a seriori interpolatore, qui exquisitiorem non recte intelligeret, ei substitutam esse arbitrer. Eidem etiam tribuenda videtur vox *perspicis*, quae I, 948. legitur loco vocabuli *percipis* l. IV. v. 24. obuii [16]), quod non solum magis conuenit verbo sequenti *persentis*, sed, quum pro-

---

15) Sic enim mihi legendum videtur ob trium certe Codd. auctoritatem, quum Cod. Cantabr. *ad tactu*, Voss. II. *attacto* (litera tamen *u* ab eadem manu superscripta) et Mus. Brit. II. *atractu* exhibeant. Adhuc enim aut contra omnes libros *tali tactu*, aut *tali a tactu* edebatur. (Vocem vero compositam *attactus* etiam Varro de R. R. II, 5, 8. et Virg. Aen. VII, 350. vsurparunt.) Ceterum Wakefieldus, Orellio, vt videtur, adsentiente, hoc etiam in loco *facto*, ne ab vno quidem libro suppeditatum, praeferendum iudicat.

16) Sic certe in omnibus Wakefieldi Codd. cunctisque vett. editt., si Bonon. et Ald. exceperis, scriptum inuenitur; Hauercampi enim et Alt.ri silentio, ex quo in Codd. Voss. vtroque, Bodl.

xime de percipiendis modo Lucretii carminibus et de vtilitate inde capienda sermo sit, omnino huic loco aptius censendum. Quod autem vltimum attinet hemistichium: *qua constet compta figura*, hoc facile fingi poterat ad exemplum locorum III, 260 et IV, 31. Quibus omnibus de causis prooemium illud a nostro loco plane absonum et e libro IV. huc translatum mihi videtur, in quo quam aptum et congruum sit, nemo non videt. Quum enim Lucretium vnumquemuis librum singulari quodam prooemio incepisse appareat, hoc quidem libri IV. initio propterea plane suo loco est habendum, quod sequitur dogma illud sane nouum et grauissimum de simulacris seu imaginibus rerum a summis corporibus emissis, vnde auctor mentis quoque in cogitando et notionibus formandis efficaciam deriuare studet, et de omnibus corpusculis illis, quae cunctis e rebus effluentia omnes sensus afficiant omnemque sentiendi vim et commoueant et vt exserere se possit efficiant; quod licet iam a Democrito (fortasse ipso etiam Leucippo) iam prolatum [17], ab Epicuro tamen accuratius definitum, magis amplificatum et excultum, exemplis et argumentis munitum atque sic primum quasi est fundatum; quare iam optimo suo iure praecedit exordium illud, magnas et obscuras res praemonstrans, in quo quum religio etiam et superstitiosa vulgi trepidatio commemorentur, his optime respondent, quae infra v. 37. ss. et 736. ss. leguntur. Ex quibus omnibus fit, vt, sicut in libro primo inepta,

---

et Vindob. hic etiam *perspicis* legi concludendum esset, in eiusmodi rebus, quae leuiores viderentur, non temere credendum esse, Wakefieldus pluribus in locis experientia edoctum se confirmat, cui, certe quod edit. Veron. attinet, vt hoc in loco, sic alias saepissime ab Hauercampo neglectam, mihi est adsentiendum.

17) Conf. Krug. l. l. p. 137. ss. et de Leucippo Plutarch. de plac. phil. IV, 8.

sic hoc in loco aptissima videatur illa introductio. His tandem liceat et hoc addere, quod, quamquam per se solum meae sententiae parum praesidii praebuerit, tamen cum ceteris coniunctum non nihil adferre videatur, nimirum Nonium Marcellum, qui plures huius loci versus adduxit, semper e quarto, nunquam e primo eos petiisse libro; quod factum esse videmus vss. 2. et 5. s. v. haurire (c. 4. n. 250.) et carpere (c. 4. n. 54.), vss. 11. et 12. s. v. absynthium (c. 3. n. 4.) et tetrum (c. 4. n. 466.) vss. 15 et 16. s. v. amarum (c. 4. n. 29.) — Satis longam de vno hoc loco dissertationem contexui, nec tamen absolui totam: restat enim difficultas quaedam, qua fortasse nonnulli omnem hanc disputationem vanam reddi arbitrentur. Scilicet versus, locum illum in libro I. antecedentes, 921-924., tam arcte cum sequentibus cohaerere videntur, vt vix ab iis diuelli possint, quod fortasse etiam fieri aliquis vetet propter Virgilii locum Geo. III, 289-293., quem cum hoc ipso loco, vt fonte, ex quo manauerit, comparat Macrob. Sat. VI, 2. init., Seruius autem omnino tantum e Lucretio fluxisse monet. Jam vero quum hi versus in principio libri IV. non legantur, vbi sane nemo eos desiderauerit, alterutrum horum sumendum esse dicent, aut eos ab illo exordio resectos, aut libro I. vna cum ceteris a Lucretio scriptos esse; quorum illud quidem cur factum sit, intelligi vix posse, ergo hoc solum relinqui. At haec tamen me non mouent, vt argumenta supra posita retractans omne illud exordium huic loco conuenire censeam; imo et illos versus seriori interpolatori tribuendos esse suspicor, quam coniecturam et interna eorum conditio, et argumenta quaedam externa videntur commendare. Primum enim vix credibile est, Lucretium claris verbis dicturum fuisse, solam laudis spem et desiderium stimulos sibi subiecisse ad poesin tractandam, quod alii veteres poetae, quid deceat, quid indecorum sit, satis discernen-

tes, nunquam de se confessi sunt, qui licet laudem quoque e carminibus suis sperent et quaerant, hanc tamen cupiditatem laudis et honoris vnice ad poesin se impulisse dicere non audent. Sed fortasse quispiam dixerit, Lucretium, multae iactantiae hominem, etiam l. VI. v. 95. simillima ratione Calliopen inuocare, vt ipsa duce „insignem capiat cum laude coronam." Attamen, vt iam dixi, plane aliud est, laudem et gloriam optare, aliud profiteri, sola laudis cupiditate motum se aliquid fecisse; quod in Lucretio inprimis aperte aduersaretur aliis locis, in quibus Memmii causa omne hoc opus se suscepisse prodit, inprimis l. I. v. 141. ss. Deinde vero me quidem male habet omnis huius sententiae conformatio in formulis verbisque singulis, quae mihi parum Lucretiana videtur: at quoniam de tali re iudicare quisque pro suo sensu solet, nolo his acrius inhaerere; dicam tamen quid maxime me monerit. Hic primum occurrit noua illa et insolens, nec vlli alii poetae nota metaphora: cor thyrso laudis percussum [18]); quae si ab initio in Lucretio lecta fuisset, vix etiam explicari posset, quomodo tandem factum sit, vt nec Virgilius, nec Horatius, nec vllus alius seriorum poetarum, qui Lucretium saepissime imitari solent, vel leue tantum eius vestigium seruaret, quidne grammaticis acciderit, vt nunquam vel vno verbo eius mentionem facerent. Tum permutatio numerorum in verbis *quod superest* et *quam sint obscura* durior videtur; *παρηγμένον* vero in verbis *per*cussit et *in*cussit pro simplicitate Lucretii nimis artificiosum. Porro additamentum *mente vigenti* post illa „Thyrso percussus" et „Musarum amore instinctus" valde otiosum et languidum esse nemo non videt. Accedit denique horum versuum, inprimis v. 922. et 924., rhyth-

18) Nam Ouid. Trist. IV, 1, 43. et Senec. Oedip. v. 628.; quae hic fortasse comparentur, longe alius sunt generis.

mus spondaicus, qui, quum mirum quantum langueat et claudicet, nec naturae rei hic expositae, nec versibus inde a 925. sequentibus, qui suaui dactylorum cum spondaeis vicissitudine decurrunt, satis respondere videtur. Quae quum ita sint, haud parum confirmari videtur suspicio, quinque illos versus, vel certe v. 921–924., ab ipso interpolatore factos et, quum semel l. IV. exordium huic libro I. infersisset, eidem callide, si diis placet, praefixos esse. Ne tamen aliquid dissimulasse videar, fatebor mihi opponi posse Virgilii et Macrobii auctoritatem ll. supra dd., quorum ille omnes hos versus 920-926. imitatus videatur, hic diserte dicat, hos Lucretii versus e L. I. Virgilianorum esse fontes. Sed habeo, quod respondeam; nam Virgilium quod attinet, eius priora verba „Nec sum animi dubius — — honorem“ profecto non sunt ex hoc Lucretii loco petita, sed potius ex alio multo similiori l. V, 98-101., et sequentia tantum verba: „Sed me Parnassi — orbita cliuo“ e Lucret. IV, 1-5. (siue I, 925-929.) imitatione expressa [19]). Restat Macrobius, qui sane versus illos quinque, de quibus quaeritur, cum ceteris iunctos in L. I. legit: at huius grammatici auctoritati haud adeo multum tribuendum esse censeo, siquidem manifestum est, eum iam tum codicibus Lucretii interpolatis et corruptis vsum fuisse [20]). His igitur omnibus

---

19) Nam quod ceteros locos attinet a Wakefieldo allatos, in quibus *acrem amorem* dixit (Aen. XII, 392.) aut *laudum percussus amore* (Aen. IX, 197.) et *Musarum amore percussus* (Geo. II. 475.), hae tam tritae et notae formulae non faciunt, vt credam, Maronem hic etiam Lucretii vv. 921-924. imitari voluisse.

20) Sic v. c. II. v. 27. ita exhibet: „Nec domus argento *fulgens* auroque *renidens*,“ quum ex omnium librorum auctoritate legendum sit: — *fulget* — *renidet*. Scilicet offendit vel Macrobium, vel codicis, e quo hausit, librarium breuis syllaba *fulget* hic producta, in qua nunc nemo amplius haerebit.

deliberatis et circumspectis equidem maneo in hac sententia vv. 920. (vel certe 921.) — 924. libri I. a manu

[Liceat tamen mihi obiter hic monere, a plerisque viris doctis, qui hac de re disputarunt, (conf. Acidalii Diuinatt. in Plaut. in Gruteri Lamp. T. VI. p. 450. ss. Lingii Quaestiones Plautinae p. 46. ss. in nota, Wasius de senario in ind. s. lit. r. Schneideri Gramm. Lat. Part. I. p. 664. s. et p. 744 s. Faernus et Bentleius ad Ter. Hec. III, 5, 13. et Phorm. prol. 9. Hermann. in doctr. metr. p. 40. et 347. Bothius ad Plaut. Amph. prol. 38. ad Terent. Eunuch. 215. Osann. Anal. crit. p. 169. et 173.) hunc vsum paullo arctioribus limitibus circumscribi, quum antiquissimi certe Latinorum poetae et qui hos imitatus est Lucretius non solum in vocibus consona r terminatis, nec in arsi tantum vel quarto hexametri pede, sed in quouis fere loco et in omni consona breuis syllabae productionem sibi indulsisse videantur. — E. Lucretio praeter hunc locum ob omnium vel certe optimorum Codd. auctoritatem huc referendos puto III, 21. semper innubilus aether (vbi Wakef. temere repugnat) VI, 1257. moeroris in vrbem (in quo et ipso libenter supersedemus Wakef. coniecturis) et fortasse etiam I, 11. genitalis aura Fauoni, quam certe lectionem Osannus Anal. crit. p. 173. et Orellii censor in Ephem. liter. Jenens. a. 1823. n. 76. praetulerunt.] Porro in notissima illa pestis Atheniensis descriptione L. VI. v. 1136. ss. Macrobius multa peruerse attulit, v. c. v. 1137. finibus in Cecropis; vbi etiam Wakef. errauit, edens: *finibus in Cecropiis,* quum tamen prima syllaba huius nominis nunquam corripiatur (vid. Schneideri Gramm. Lat. P. I. p. 681.) et optimi libri praebeant *finibu' Cecropiis.* V. 1186. cruore (pro *colore,* plane miro et inepto modo). V. 1217. sedibus (pro longe elegantiori optimorum librorum lectione *solibus*) v. 1218. tristia secla ferarum (cum vno tantum Cod. et ed. Bonon., vbi Wakef. ne puncto quidem temporis dubitare debuisset de antiqua coniectura a se recepta: „noxia secla ferarum," quam vnice veram duco; noxia enim ferarum secla sunt θηρίων τὰ σαρκοφάγα, comprobatur vero haec lectio partim Codd. vestigiis, partim hac ipsa Macrobii scriptura, aperte ex interpretamento orta; ita vt „noctibus" a librariis, veram lectionem non capientibus, antecedenti „solibus" accommodatum esse pateat) etc.

serioris editoris adiectos esse. Quomodo autem in eos excudendos ductus sit, si quis ex me quaerat, casu ita factum sumamus, vt, si libro I. inter v. 919 et 950. aliquid de difficultate philosophica praecepta latine explicandi paucis verbis adiectum legeret, Virgilianis illis verbis non dissimile, arbitrari potuerit, totum illum locum l. IV. etiam hic positum fuisse, inprimis quum hic quoque v. 950. aeque vt v. 26. libri IV. sequeretur: Sed quoniam docui etc.; hac vero semel capta opinione pronum erat, pro vno alterove versu Lucretiano hos suos substituere e Virgilii prioribus adumbratos, sed longe elegantiori scilicet arte perfectos.

Pariter etiam libri IV. v. 218-230., qui tribus modo vocibus mutatis repetuntur l. IV. v. 923-935., simul cum versu ipsos antecedente a priori loco alieni videntur. Etenim hoc loco auctor, vt in iis, quae proxime praecedunt, sic in sequentibus loquitur tantum de simulacris seu imaginibus rerum, quae tanquam tenues membranae ex superficie earum solutae in oculos cadant et visum lacessant: non in vniuersum agit de corpusculis illis, quae ex omnium omnino rerum interioribus partibus effluentia ceteros etiam sensus afficiant; quare quae de odoribus, frigore, calore, auditu et sapore illis versibus dicta sunt, ab omni disputatione hic instituta abhorrere mihi videntur. Etiamsi enim sumere velimus, Lucretium haec etiam corpusculorum effluentium genera similitudinis causa breuiter commemorare voluisse, tamen hoc vel vna vocula indicare, vel omnino v. 219 ss. aliqua certe ratione cum prioribus coniungere debuisset [21]), quod auctor, qui omni ambiguitati et fal-

21) Minime enim ex Wakefieldi editione hic locus indicari potest, in quo virum doctum, spretis omnibus, quotcunque innotuerunt, libris MSS. et editt. vett., qui v. 219. communi consensu sic exhibent: „Perpetuoque fluant certis ab rebus odores," ex una edit. Juntina, quam iam Lambinus antea tex-

sae interpretationi locum dare studiosissime cauit, eo magis necessarium putauisset, quo facilius illarum particularum effluentium natura cum simulacrorum ratione confundi potuisset; haec autem minutissima-

---

tui immissam postea rursus reiecerat, denuo in contextum recepisse scripturam *obortu*, quam maxime miror. Nihil enim nisi editoris Florentini vel amici eius coniecturam esse vocem illam, qua, sensui loci, coniunctiuo illo *fluant*, magis etiam deprauati, succurrere studuit, nemo non videt; imo in vitii adeo typographici suspicionem ea incurrit, quum Pius, qui ceteros omnes libros sequutus, nec vllam Codicum diuersitatem notans, *odores* legit, disertis verbis dicat: „Sunt, „qui *abortu* scribendum censent, et hi per abortum simula„chra volunt, quae subito a corporibus nascentia emanant et „subito intermoriuntur: vnde graphice possunt abortus dici: „quippe cum imitentur foetus abortiuos, qui modo sunt, mo„do non sunt;" quod eo magis verisimile videtur, quum vocabulum substantiuum *obortus* nullus alius Latinorum scriptor agnoscat. Sed etiamsi Candidum, vel Marullum, vel alium quemuis coniecturae illius auctorem vere plane nouum et inauditum verbum Codicum scripturae substituisse credere velimus, non solum languida et ieiuna esset, sed omni etiam sensui aduersaretur haec correctio, quum non a certis tantum rebus, sed ab omnibus eiusmodi simulacra, quae „feriant oculos sensumque lacessant" effluere et ex mente Lucretii et e natura rei credenda sint. Edit. vero Juutinam plures continere, Marulli inprimis, coniecturas et correctiones, quum Candidus ipse, tum experientia me edocuit. Omnino autem quum haec editio, quam ipse possideo et editionem Lucretii, si fata sinant, aliquando suscepturus diligenter adhibebo veris lectionibus enucleandis, nondum accurate sit collata et raro obuia veniat, vnde etiam Orellio (v. eius Praef. ad Ecl. poet. Lat. pag. VII.) eam videre non contigit, non superfluum videtur, pauca de ea hic commemorare. Mira enim est Wakefieldi in editione nostra diiudicanda inconstantia, quam quum in hoc vt in aliis locis tanti habuerit, vt eius solius auctoritate commotus lectionem quandam (v. c. IV, 796. *vt*, VI, 367. *rigoris* etc.), vel integrum adeo versum (vt VI, 607.) in contextum reciperet, (Aldinam II. enim, quam in locis modo dictis addidit, plerumque Juntinam sequi eum scire

rum particularum duo genera plane diuersa esse, Lucretius non modo supra v. 88. ss., sed rursus infra v. 607 ss. monuit; quid quod longum post interuallum, a versu demum 525. de ceteris etiam sen-

---

oportuit), in praefatione tamen p. V. edit. prioris simul cum Aldina, si criticam commoditatem spectes, plane nihili faciendam putat, ita ut non multum absit, quin credam, inter ipsam editionem, quum iam secundi voluminis plagulae sub prelis artificum sudarent, ipso vsu melius edocto ei venisse aequiorem de ea opinionem; quae suspicio eo etiam comprobari videtur, quod inde a l. IV. demum eius lectiones a Wakef. saepius adferuntur et libentius examinantur. Omnino autem parum diligentem et fide dignum se praebuit Wakef. in conferenda et laudanda hac editione, quam modo Juntinae, modo Florentinae nomine appellat, bis autem (ad V, 678 et 1222.) tam mire adfert, ut hae duae eaeque diuersae editiones videantur; vnde factum, vt non solum plures eius lectiones minime spernendas silentio praetermitteret, sed etiam nonnulla a se excogitata diceret, quae iam in hac editione leguntur (vt III, 241. *volutant* et V, 1034. *infestus;* conf. etiam ad IV, 1241.) aliis vero in locis lectiones sibi arridentes, quas vel ob exiguam librorum auctoritatem in textum recipere non auderet, vel receptas perpaucis tantum aut nullis prorsus libris comprobare posset, huius editionis auctoritate magis confirmare negligeret (e. g. I, 282. *quamquam* et I, 1090. *ibi,* quibus lectionibus plane nullum addit libri cuiusdam testimonium, II, 27. participium *fulgens,* quod e sola Pii edit. laudat, et III, 94. femininum *quam,* quod non nisi in Sosip. Charisio inueniri commemorat, vel I, 401. vbi *possunt* ex vno tantum Cod. et collatt. Heinsii recepit et I, 771. *liquoris,* quod in duobus modo Codd. Mus. Brit. inueniri dicit), vt denique saepissime (v. c. ad V, 1189. VI, 24. etc.) tanquam edit. Iuntinae lectiones adferret, quae tantum inter varias et ab editore reiectas lectiones in fine libri additae leguntur, contra vero inter varias lectiones commemorari diceret, quod in ipso contextu legitur, (vt V, 993., vbi edit. Iunt. vt optimi quiuis libri in textu, non inter varias lectiones, habet veram scripturam *sub vlcera,* quam vero Wakef. in contextis inuenisse sibi visus est *sub viscera,* hanc ne in variis quidam lectt. adfert, vbi potius clare et

sibus quaerere instituit, hosque adfici docuit corpusculis ex interioribus rerum partibus emissis, v. ... auditum v. 533., olfactum v. 678 ss. et sic porro. Sicuti ergo omnes hos XIII. versus ab hoc loco pror-

---

distincte scriptum est *sub viscera*). Quod autem Wakef. in praef. l. l. dicit, „Juntinam ad Aldinae prioris normam potissimum compositam videri," neutiquam est verum, quum facillimo negotio ex uno quouis libro plures quam centum locos adferre possim, in quibus vtraque dissentit, ita vt potius viri doctiss. negligentiae sit tribuendum, quum non nisi paucas scripturae discrepantias inter vtramque deprehendisse se confirmat. Imo edit. Juntina cum vtraque Aldina et Bononiensi accurate comparata, intellexisse mihi videor, Candidum, qui editionem illam curauit, in veris lectionibus constituendis non solum libris MSS., sed prioribus etiam editionibus, Pii inprimis emendationibus, diligentissime vsum fuisse, ita tamen, vt pro more aetatis suae in locis dubiis et conclamatis saepissime suas vel aliorum coniecturas, interdum nimium audaces, textui inferret, vnde factum, vt eius editio longe aliam, quam priores omnes, prae se ferat speciem, et caute adhibita multis locis quam maxime prodesse possit. Quam sententiam vt magis comprobem, aliisque etiam de ea indicandi facultatem praebeam, liceat indicem earum lectionum adscribere, quas libro I. in prioribus editt., Brixiensi, Veronensi, Veneta, Aldina I. et Bononiensi (nam de Mediolanensi a. 1491. nihil constat), non editas, Juntina prima in contextis exhibet, et ita quidem, vt quas optimis etiam Codd. comprobatas Wakefield. quoque in contextu habet, literis cursiuis, quas vocant, exprimi iubeam, quas vero nullus liber MS. nobis cognitus agnoscere videtur, asterisco notem. (Heinsii tamen Collatt., quae plures harum lectionum adferunt, quum magnam partem ex hac ipsa edit. Juntina fluxisse compertum habere mihi videar, si de solis Codd. quaeritur, hic negligendas esse putaui.). Sic igitur Junt. exhibet v. g. pacatum. * v. 16. in ea primum apparet. v. 57-62. prima omittit. v. 105. possunt. * 150. principium hinc cuius. 176. vuas. * 222. at nunc. 241. *nexu*. 244. quemquam. * 246. *pro textura*. 282. quam cum mollis. * 299. *tum porro*. 348. liquet. * 353. in totos. * 362. in plumbo (omisso est.). * 367. *corporis esse* 383. dicendum rebus (non addito est.). *

sus alienos censeo, ita etiam, quomodo v. 217 et 218, cum prioribus apte conciliari possint, non video. Vniuersa enim haec conclusio, esse omnino eiusmodi corpora, quae oculos feriant visumque adficiant, quam in fine totius expositionis prorsus suo loco positam iudicarem, quid hic sibi velit in media disputatione, vbi de celeritate, qua imagines mo-

---

396 *denserier.* 401. *possunt,* 428. haud vsquam. 437. corporeum. * 454. *aquai.* 466. *cum dicunt.* 467. *nos esse fateri.* 488. *credere.* 491. clamor vt it vocis. * 493. quin labefactatus. * 500. *cogit, ades, paucis.* 501. *esse ea, quae.* 221. siquidem nihil est (ut optimi quiuis libri). 528. possunt. Inde a v. 551. plane alius, ac in ceteris editt., versuum ordo reperitur, ita vt singuli versus sic se excipiant: 541-551. 566-577. 585-635. 578-584. 552-565. 636. etc. Porro exhibet v. 556. florem. 567. cum constent. * 568. fiant. * 569. gerantur. * 586. tuendi. 605. *Alterius quoniam est ipsum* — primae quoque et imae. * 614. nec diminui quid. * 625. credere posse, animi victus. 635. per quae. 640. clarus ob obscuram. 641. Graios inter qui. 650. habet suus ignis. 652. *disque sipatis.* 656. admisto rebus inani. * 658. contraria multi. * 662. densari. 663. mittere natum. * 667. *in coetus* stringi *mutareque.* 668. ex vlla receptent. * 681. discedere, adire. * 689. possit. 691. Dicere porro sequi ignem res omnes, neque vllam. * 701. potest, quo vera. 720. Jonium et Lybicis aspergit litus ab vndis. 727. *videtur.* 740. *tripode ex Phoebi.* 756. *atqui.* 771. liquoris. 774. *animans.* 787. mutando meare. 788. de coelo. 803. auras. 808. vti possint. * Inter versum 840. et 841. insertus est hic: Sic ignem inter se paruis coeuntibus nasci. * 853. sanguinis? anne os? 857. at neque cedere iam. * 860. seu velut in nobis. * 867. sanieque. Post v. 873. qui in prioribus edd. omnibus leguntur duo versus spurii (quorum vnum tamen Wakef. adeo recepit), primum omittuntur. V. 881. *minaci.* 883. (ex versuum numeris apud Eichst., nam Wakef. hunc versum, quamquam receptum, non in numerorum seriem retulit) lapidi lapidem. 889. dispertita esse, *ac* in terris. 899. *donec flammai fulserunt flore coorto.* 902. *quae cum confluxere.* 903. tanta. * 937. aspirant. * 953. haec sic euolnamus

ueantur, sermo fuit, equidem non magis perspicio, quam quo pacto hanc sententiam de imaginibus, saepius iam vt certam propositam (v. 46. ss. 61. ss. 88. ss. etc.), iam propter hanc vnam causam, quae mira ipsi res videtur, propter speciem siderum extemplo in dolio aquae pleno visam, veram haberi Lucretius velit. Accedit etiam ipsa v. 217. natura et constructio, in quo quum ex omnium librorum consensu legendum sit: Qua re etiam atque etiam mira fateare necesse est Corpora etc. (nam Pii *mira haec* et Juntinae *minima haec* coniecturis tantum niti videntur,) primum offendunt verba *qua re mira* pro: de qua re mira, vel: ob quam rem miram, po-

976. faciatque. 997. rem res. * 1012. natura et pateat tantum. 1021. ordine quaeque suo atque. * 1041. possent. 1046. *principiis.* 1060. suapte. * 1062. decidere. * 1064. illic. * 1066. diesque. 1070. *neque omnino si iam medium sit.* 1074. *concedat oportet.* 1075. aeque. * 1078. illis. * 1081. in concilio. * 1084. magnisque. 1090. ibi colligat igneis. v. 1091. prima exhibet. 1093. *cuique cibatum.* v. 1094. primum in ea legitur. 1097. ferantur. * 1101. abeat. * – Saepe etiam, spretis ceterarum editionum lectionibus, ad editionis principis auctoritatem rediit, quam, ab editoribus nondum adhibitam et ab Ill. *Eichstaedtio* in Programm. d. IV. m. Febr. MDCCCVIII. ad Prorectoratus vices indicandos emisso in accuratiorem virorum doctorum notitiam adductam, ad singulas literas e Codice admodum bono descriptam esse, Gerardi collatio me docuit. In libro I. illud factum est in his lectionibus: v. 95. *donarat.* 176. *suadente.* 231. *ingenui.* 328. *possis.* 388. *celerantibus.* 499. *vera.* 561. id nunquam relique. 598. nec toties *possent.* 710. *ipsum.* 765. *omnia.* 780. demineat. 806. *tabe*-vacillent. 810. *corpore.* 841. ignibus exiguis. 968. *procurrat.* 989. *vbi.* 1002. fulmina. 1069. *nam.* 1108. *namque.* — Addo tantum, Naugerium, qui Aldinam II. a. 1515. curauit, plerumque a Candidi partibus stetisse, et raro tantum aut ex prioribus editt. quaedam seruasse, quae ab illo correcta erant, aut proprio Marte hic ibi nonnulla mutauisse, ita vt ex hac editione vix alicui loco noua lux adferri possit.

sita, siquidem Lucretius superfluas potius praepositiones addere, quam necessarias omittere soleat; deinde magis etiam dubitandum est de vocabulo *fateri,* quod equidem nec apud Lucretium, nec apud alium bonum scriptorem sic me legere memini, vt simplici accusatiuo iunctum pro *agnoscere verum, concedere aliquid esse* vsurparetur, quare haec potius seriorem Lucretio auctorem sapere videntur. Quod autem vocularum quarundam attinet variationem, hoc etiam in loco factam, quum, quae legitur VI, 926., vox *propter* hic in *circum,* et quae versu sequenti in altero loco apparet formula *sonitus manare* in *voces volitare* mutata sit, illam seriori interpolatori tribui posse nemo negabit, hanc vero qui fortasse magis Lucretianam dicat, quam quae a seriori manu proficisci potuerit, hic memor sit loci VI, 951. „Denique per dissaepta domorum saxea voces Peruolitant etc.,“ ex quo hanc mutationem haurire facillimum erat. Omnino autem alterius loci in l. VI. comparatio alia etiam ratione suspicionem nostram comprobare videtur; in quo quum Lucretius, magnetis vim et naturam expositurus, aptissime praemittat praeceptum istud de particulis ex vno quouis corpore effluentibus, hoc ita eum instituisse videmus, vt placito illo iam prolato v. 936. sic pergeret: „Nunc — *repetam* — commemorare, quod in primo quoque carmine claret;“ quare non sine iure aliquis miretur, cur hic demum de repetitione dogmatum supra iam expositorum loqueretur, si et illud praeceptum de corpusculis ex omnibus rebus emanantibus supra iam eadem diligentia et copia, atque iisdem adeo verbis, proposuisset. Quae omnia me mouent, vt hunc etiam locum IV, 217-230. a seriori auctore adiectum arbitrer, qui fortasse, quum v. 216 et 231. non bene cohaerere putaret, aptissimum transitum sibi videretur facturus

his versibus e l. VI. inferendis, inprimis quum etiam in his, quae proxime sequuntur, quaedam de tactu obiter dici vidisset, quibus, si de reliquis quoque sensibus pauca adderentur, optime congruere censeret.

Quod autem de his locis statuendum, idem etiam cadere videtur in l. I. v. 57-62, infra l. II. inde a versu 645. sine vlla mutatione repetitos, quos, quum in edit. Junt. et Aldina II. atque, si fides est Lambino, in nonnullis etiam libris MSS. plane desint, in tribus vero Mus. Brit. Codd. et editt. Brix. Veron. Veneta alio plane inepto loco post v. 44. inserantur, Vossius, Wakefieldus aliique a librariis male huc translatos esse iudicarunt. Ego vero nec a Lucretio ipso, nec a librariis solis hunc locum repetitum esse dixerim. Nam Lucretius quidem I, 49-56. indicauerat tantum hoc, se jam prae ceteris dicturum esse de primordiis siue prima rerum materia, semine quasi, ex quo omnia corpora orta sint; vt adeo hi versus nihil amplius contineant, quam simplex huius libri argumentum. Jam ipsam huius tractationem priusquam adgreditur, inde a v. 64. longam praemittit digressionem in laudem Epicuri, qui superstitionem religiosam philosophia sua feliciter depresserit vanamque docuerit; simul et suam ipsius excusat rationem Memmio, quod hanc disciplinam, quae facile alicui impia videatur, sequutus sit. His e vulgari ratione inseruntur versus illi, qui breuem exhibent expositionem sententiae Epicureae de natura deorum. Quisnam, quaeso, hic sententiarum nexus? Enimuero si Lucretius iam inciperet omnium rerum originem e coniunctis atomis enarrare, tum fortasse suo loco foret talis fere obseruatio: non enim a Diis mundus originem ducit, qui, a rebus humanis longe seiuncti, aeterna fruuntur pace etc.; hic vero vbi paucis tantum verbis rem vniuersam commemorat, quam cantaturus est, haec de natura deorum sententia, eaque sic expressa

neque cum prioribus apte connexa, prorsus aliena debet videri. Quae autem non ab auctore ipso hic repetita puto, nec a librariis huc translata arbitror, qui vix hoc sibi indulsissent, vt sine idonea causa longiorem hunc verborum ambitum ex alio libro huc inferrent et ex inferiori loco superiori insererent. Sola enim Codicum et editionum auctoritas, quibus hi versus plane omittuntur vel transponuntur, vt Wakefieldi aliorumque opinionem amplectar me non mouent, quum infra plura alia tractaturus sim loca, in quibus Codices pariter prioris editionis, a Lucretio ipso profectae, nec a seriori manu iam interpolatae et mutatae, vestigia seruasse videantur. Quare cui ceterae repetitiones tribuendae, huic neque hanc abiudicari posse censeo. Circumspicienti vero, qua tandem causa commotus serior Lucretii interpolator versus illos nostro in loco iterauerit, obtulit mihi eam v. 49., in quo quum ille vidisset Lucretium dicere: „Nam tibi de summa coeli ratione deûmque Disserere incipiam,“ in sequentibus vero de diis nihil proditum et tamen de religione sermonem esse animaduerteret, haec non bene cohaerere et de diis aliquid excidisse ratus, facile induci poterat in opinionem, hanc lacunam illius loci repetitione commode expleri posse.

Admodum similes vicissitudines subiit alius locus, quem addere placet. Index enim repetitionum, supra not. 9. exhibitus, continet etiam locum III, 31-34., quem, Wakefieldi editionem ibi sequutus, dixi l. IV. v. 26-29. iteratum legi, iam vero libris fidem habituro aliter collocandum esse pronuntio. Vno enim Cod. Mus. Brit. Σ. excepto, in quo, si Wakefieldum recte intelligo, versus illi omnino non repetuntur l. IV., in omnibus fere libris MSS. et editt. vett.[22]) illo loco,

[22]) Constat de Codd. Voss. I. II. et Bodl. (cf. Hauerc. ad v. 25 et 51.) de Vindob. (v. Alter. p. 274.) de editt. Brix. Ver-

quo vulgares editiones et ipse Wakefield. versus nostros l. IV. iteratos exhibent, non leguntur, sed infra demum inseruntur post v. 51., qui tamen et ipse alium occupat locum, ita nimirum, vt omnis locus, plane alia, quam in emissis adhuc editionibus, forma indutus, si Wakefieldi numeros spectamus, sic se habeat: v. 25. 30-47. 51. 26-29., iam 33 et 34. iterati, 48-50. 52. etc. Verum quidem est, sensum et ordinem loci mire sic turbatum esse; quid vero, si ipsa illa, quam sumo, serior interpolatio ansam dederit his turbis? vt nimirum Codices sumamus nostris antiquiores, in quibus ex vtriusque recensionis, et a Lucretio ipso et a seriori eius editore profectae, collatione locus sic conflatus sit, vt seriores Codd. eum receperunt, vnde etiam v. 33 et 34. repetitio optime explicari possit; nisi malis hos versus, a librariis oscitantibus propter simile initium v. 35. et 48. huc positos, perturbationem iam coeptam magis etiam auxisse, quod tamen minus probabile videtur. Quocunque vero loco quatuor hos versus ponendos aliquis censeat, ego non l. IV. a Lucretio repetitos, sed serius e libro III. in hanc carminis seriem illatos censeo. Hanc suspicionem mihi iniecit primum haec ipsa res, quod illi in omnibus fere libris alieno loco positi cernuntur, in vno etiam omissi; deinde quod Lucretius vix ac ne vix quidem libri III.

Ven. Aldin. I. (cf. Gerardi collatio p. 268. s.) et Bonon., quam ipse vidi versus illos altero loco exhibere ita quidem, vt nihil plane de ordinis varietate in aliis libris commemoretur. Quod autem Wakefieldi Codd. attinet, licet Vir. doctiss. non diserte dicat, quomodo singuli versus in iis se excipiant, ex iis tamen, quae ad v. 25. et 33. profert, si fortasse Cod. Mus. Brit. Δ. omittas, de quo plane silet Wakef., omnes eundem, quem supra posui, ordinem servare, non temere colligere videmur.. In edit. Iunt. (quam Ald. II. sequitur), primum, vt videtur, vulgaris ratio apparet.

argumentum v. 30. his verbis adiecturus fuisset: Atque animi quoniam docui etc., si iam antea v. 26. scripsisset: Sed quoniam docui etc.; denique et hoc, quod horum versuum sententia, eorum indicem continens, quae libro II. iam demonstrata erant, a Lucretii more abhorrere videtur, qui sub initium noui libri aut ea modo solet in memoriam reuocare, quae proximo libro ante disputauerat (vt III, 31-34. VI. 42-45.), aut omnium praecedentium librorum argumentum paucissimis verbis obiter potius innuit, quam diserte repetit (vt V, 56-64.).

Pariter suspecti sunt IV, 100-102., quorum primus et postremus leguntur iam v. 63. 64., qui vero iis insertus est v. 101., a plerisque libris non agnoscitur [23]), nulla alia, puto, de causa, quam quia librarii alterius loci memores, in quo hic versus non apparet, hic etiam spurium eum habuerunt. Qui versus interiectus quum iam omnem locum suspectum reddat, sententiarum tamen connexus suspicionem nostram magis comprobare videtur. Quod enim Wakefieldus dicit, repeti hos versus," vt argumentum rite concludatur et ad summam disputationis huiusce reuocetur „lectoris recordatio," non satis huc conuenire arbitror. Primum enim his verbis nondum concluditur argumentum, ad quod pertinent etiam v. 103-108., arcte cum v. 99. cohaerentes; deinde plane non intelligimus, cur hic iam in mentem lectoris reuocandum sit, quod paullo ante lectum vt quisque recenti memoria teneat necesse est, cui si vere excidit, ne his quidem versibus repetitis in eam denuo redigetur, qui sine altero illo loco plane intelligi nequeunt. Vt enim non vrgeam duplex illud *corpora — corpore* in vna eademque sententia et eodem versu positum, omnem tamen rem admodum

---

[23]) Libris a Wakefieldo commemoratis adde editt. Brix. et Venetam.

mire et obscure expressam esse, nemo non videt, ita vt anxium imitatoris studium exquisitioribus Lucretii verbis et formulis vtendi hoc etiam in loco ipsi fraudi fuisse appareat. Licet enim Lucretius I, 298. *aperto corpore* dicat pro manifesto corpore et oculis percipiendo, quod in illo loco propter eius argumentum et oppositionem inter caeca et aperta corpora aptum est et conueniens, id propterea non in hunc etiam quadrat, in quo quum potius aliquid quaeratur, quod verbo *tenuia* in sequenti versu respondeat, illud *aperto corpore* ieiunum et absonum videtur. Quare omnes tres versus, qui expulsi minime desiderantur, a seriori manu temere adiectos puto.

2. Quod autem supra iam commemorauimus mirum et artificiosum orationis variandae studium, id multo magis ex aliis cognoscitur locis repetitis, quorum nonnullos iam considerabimus. Qua in re licet prorsus adsentiar Ill. Eichstaedtio, qui contra Wakefieldum, gratam in illis locis varietatem admirantem, qua auctor fastidio legentium occurrerit, rectissime monet, „hanc ab austera poetae „nostri simplicitate non minus quam ab Ascraei va„tis ratione et consuetudine abhorrere," ideoque potius ab homine inductam videri, „qui emendationem „carminis, neque illam tamen satis constanter, facti„tarit, vt in altero loco, quod poeta scripserit, in al„tero, quod emendator reposuerit, hodie lega„mus;" in eo tamen a Viro celeberrimo mihi est dissentiendum, quod non nisi mutationes in locis ab auctore ipso repetitis seriori emendatori tribuendas putat, quum mihi potius, e causis iam allatis et amplius commemorandis, omnes illae repetitiones Lucretio abiudicandae et hominem ipso longe deteriorem sapere videantur.

Hoc igitur ad genus locorum inter alios referendi sunt l. II. v. 177-181., qui, quum paullo aliter legantur etiam l. V. v. 196-200., vbi optime se habent, hic non solum admodum offendunt, sed quum aliae etiam superueniant causae de eo dubitandi, omnem illum locum II, 167-183, valde suspectum reddunt. Lucretius enim hic loquitur de natura inprimisque de motu atomorum, et ita quidem, vt in proxime antecedentibus v. 143-166. de celeritate eorum, in sequentibus vero, v. 184-333., de ratione disputet, qua rerum primordia nunquam sursum tendant, sed omnia e superiori in inferiorem locum decidant, nec recta ad amussim via descendentia a perpendiculi linea paullulum ad latera deflectant; quibus inseritur refutatio illa Platonis et Stoicorum, qui naturam non deorum opera humanis rationibus tam aptam et conuenientem exoriri potuisse contendant. Quid, quaeso, ab hoc sententiarum ordine et connexu, vt non dicam ab omni loco, magis absonum cogitari potest, quam illa versuum series? Licet enim verum sit, ipso illo motu atomorum nunquam cessante et concursu inde effecto ex Epicureorum sententia omnes res procreari et propterea inprimis de motu eorum Lucretium hic disputare, quod v. 61. ss. ipse significat, hic tamen, vt pluribus iam libri I. locis (v. c. 798. ss. 906. ss. 1020. ss.), ipsam corporum originem e concursu atomorum obiter tantum commemorat, (conf. v. 224. v. 228. v. 242. etc.) accuratius de ea infra demum dicturus l. V. inde a v. 417., et quae v. 99. ss. de duriorum et liquidiorum corporum origine disserit, ea et ipsa hic in transcursu modo tangit, demonstraturus, rerum primordia nunquam quiescere, sed sempiterno motu agitata se inuicem trudere et impellere, ita vt partim inter se implicata cohaereant, partim longe dissiliant et disiungantur, infra autem inde a. v. 444. eadem iterum tractat Quare

quum neque de ortu rerum in prioribus accurata instituatur quaestio, neque natura deorum in omnibus, quae praecedunt et sequuntur, vel vno verbo commemoretur, ista stoicae sententiae refutatio huic loco omnino non conuenire videtur. Sed etiamsi hoc concedere velimus, quid tandem facit Lucretius, vt illam aduersariorum sententiam refellat vanamque demonstret? Nihil plane; nisi quod lectores ablegat ad alterum illum locum iisdem versibus inceptum, vbi placitum de mundo a diis procreato e vitiis et incommodis naturae confutare studet. Cur ergo omnino hic tangit, quae alii philosophi obloquantur, nisi etiam extemplo eos redarguere in animo habet? quod mihi certe plane alienum videtur a Lucretii more, qui, quando aduersariorum adfert opiniones, statim quibuscunque potest argumentis eas refellere studet. Porro quam dura est loci illius cum sequentibus coniunctio! V. 183. et 184.

Nunc id, quod superest, de motibus expediemus.
Nunc locus est, vt opinor, in his illud quoque rebus
Confirmare tibi etc.

quis legere potest sine taedio et molestia? quam quum Lucretii carmina alias non excitare soleant, Lambinus iam, Fabro adsentiente, v. 183. spurium censuit, Bentleius vero v. 184. *nunc* in *iam* mutari suasit, quorum tamen neutrum per Codices licet, ita vt vitium altius sedere videatur. Quae quum non parum moueant serioris interpolationis suspicionem, non tollit eam ipsa versuum compositio. V. 177-181. infra l. V. v. 196-200. repetitos legi iam commemorauimus, sed nondum diximus de mutationibus in iis obuiis, quae ita se habent, vt quum in altero libri V. loco legatur v. 196. *Quod si iam*, v. 199. *paratam* et 200. *Naturam rerum; tanta stat praedita culpa*, nostro in loco appareat v. 177. *Nam quamuis*, v. 180. *creatam* et v. 181. *Naturam mundi: quamquam haec sint praedita*

culpa[24]), quarum mutationum si iam priores magis accedunt ad pedestris orationis colorem et auctorem produnt nomine poetae minus dignum, postrema inprimis ita est comparata, vt vix ac ne vix quidem a Lucretio profecta esse possit; qui quum in loco illo simili e vitiis naturae mundum a diis non creatum esse demonstraturus, rectissime dixerit: „tanta stat praedita culpa," nunquam haec ita inflexisset, vt admodum miro modo ad praecepta sua detorqueret, quae e vulgi saltem opinione, culpa praedita, i. e. culpari digna, reprehendenda et exsecranda sint, quod si dicere voluisset, profecto aliis verbis dixisset, non illis misere ad hunc sensum detortis. Multo minus autem credibile est, hos versus e nostro loco in librum V. translatos esse a Lucretio, in quo omnia tam bene cohaerent, tam conuenienter ex ordine et connexu sententiarum singula procedunt, vt ex illo in libro II. iam obuio factus vix censeri possit. Missis vero factis his versibus remanent tamen eiusdem fere furfuris v. 167-176. et 182. cum sequenti, qui, si priores illi a Lucretio hic non positi sunt, non minus ab interpolatoris manu inserti videantur. Etenim si fortasse aliquis colorem et naturam horum versuum non ita comparatam dicat, vt alium quam Lucretium ipsum auctorem sapiat, huic respondeo, primum v. 176. et ipsum ex alio Lucretii loco repetitum esse, scilicet e l. I. v. 638., quae autem praeterea in iis Lucretiana videantur, ea

---

24) Sic enim Wakefield. recte e Codd. restituit, quum priores editt. exhibeant *quae tanta est praedita culpa*, lectionem e coniectura haud dubie profectam, quae, vt aliae multae, primum apparet in edit. Juntina. Wakefieldi libris addi possunt Cod. Vind. (*quamquam haec sint*) editt. Brix. (*quamquam haec sint*) et Ald. I. (*quamquam haec sunt*). Edit. Veneta, vt semper, Veronensem, Aldina II., vt plerumque, Juntinam sequitur.

fere omnia ex aliis auctoris nostri locis esse desumta. Cum verbis enim v. 168. *deum sine numine* conf. II, 434. III, 18. IV, 1232; *annorum tempora* vt hic v. 170. coniungit auctor etiam III, 1018. V, 1185. 1437; et v. 173., si a verbo *blanditim* recesseris, omnis ex aliis locis est compositus, siquidem *per Veneris res* legitur etiam II, 437. et V, 846., *secla propagare* autem I, 21. (conf. I, 196. II, 996. V, 848. 854.). His vero, quibus interpolator, in Lucretii carmine bene versatus, facile vti poterat, remotis, pauca tantum supersunt, quae non a quouis vel vilissimo versuum opifice addi potuerint. Inprimis huc referendum videatur aduerbium *blanditim* v. 173. lectum, nec alio auctoris cuiusdam loco obuium. Sed quum hic versus aperte sumtus sit e l. I. v. 20 et 21. in vnum contractis, non improbabile videtur, Pseudolucretium nostrum, ne plane repeteret illa: „generatim secla propagent," et vt tamen aliquid de „blando amore" retineret, hoc aduerbium posuisse, vel ex alio antiquioris cuiusdam scriptoris loco deperdito translatum, vel a se ipso ad formam multorum aduerbiorum in *im* exeuntium, quibus veterrimi auctores vsi sunt [25]), excogitatum. Certe hoc vnum verbum non efficere videtur, vt Lucretio alia quaedam in his versibus obuia obtrudamus, in

[25]) Sic apud Lucretium legimus VI, 1261. aceruatim; IV, 364. adumbratim; IV, 559. articulatim; VI, 1142. cateruatim; V, 1125, contemtim; II, 830. filatim; I, 21. generatim; III, 388. grauatim; II, 114. insertim; IV, 504. et 1206. iuxtim; III, 526. membratim; II, 1130 et saepius: minutatim; III, 565. mixtim; I, 324. moderatim; III, 541. particulatim; V, 534 et 1452. pedetentim; II, 974. propritim; I, 663 et saepius: raptim; II, 152. et IV, 104. singillatim; III, 262. summatim; III, 529. et VI, 118. tractim; II, 118. turmatim; II, 1171. viritim. (Conf. Wakef. ad I, 46.) Plura collegit Priscian. l. XV. p. 1013. Putsch. (T. I. p. 624. Krehl.)

quibus interpolator prae nimio studio Lucretianae dictionis imitandae haud semel lapsus videtur. Primum enim verba *materiaï naturaï* prorsus contra Lucretii mentem et consuetudinem vsurpata videntur, quae, ab eo nunquam coniuncta, quum ex vtriusque vocis notione in aliis locis apparente nihil aliud significarent, quam internam rationem et indolem primordiorum, e quibus omnes res compositae sint, an huic loco conueniant, vbi interpolator haud dubie id exprimere voluit, quod Lucretius alibi naturam rerum dicit, quam maxime dubito; deinde omnis v. 168 et 169. ratio a Lucretio aliena videtur. Duplex enim est via hos versus explicandi; aut, quemadmodum recentiores editores omnes fecerunt, post aduerbium *admoderate* interpungendum est, vt coniungamus: naturam humanis rationibus non posse admoderate reddi, aut, signo interpunctionis post *reddi* posito, locus sic intelligendus: Ignari quidam dicunt, naturam sine deorum opera non reddi (i. e. fieri, procreari) posse; tam admoderate enim humanis rationibus eam mutare annorum tempora etc. Neutra tamen ratio Lucretio digna videtur; illa enim aduerbium *admoderate* non solum contra Lucretii, sed contra cuiusuis boni scriptoris consuetudinem pro adiectiuo admoderatam positam praeberet, haec autem, quae adhuc nemini in mentem venit, verbo *reddere* tribueret significationem, qua et ipsum nec a Lucretio nec ab alio quodam auctore vsurpatum legitur; ita vt haec etiam difficultas opinionem meam de omni loco aliquatenus adiuuare videatur.

Quod in hoc loco fortasse dubium videri potest, id longe certius pronuntiare mihi videor de alio loco, l. III. v. 807-829., qui infra l. V. inde a. v. 352. denuo legitur ita, vt ex hoc ipso loco ab indocta manu in priorem illum translatum luculenter se pro-

dat. Omnia enim, quae l. V. apte et congrue dicuntur ad mundi aeternitatem refellendam, artificioso et contorto modo, hic ad animum mentemque humanam referuntur, iis fere solis verbis, quae vt variarentur ipsius rei diuersitas necessario efflagitaret, vtcunque mutatis, quas varietates ita hic adscribam, vt libri V. lectionibus mutationes in tertio libro factas adiiciam parenthesi inclusas. Legimus ergo v. 360. etiam, (815. ideo.) v. 365. qui — dissiliant, (818. quis — diffugiant.) v. 365. mundi, (820. mentis.) v. 369. conruere — rerum — summam, (824. proruere — mentis — molem.) v. 372. possint moenia mundi, (827. possit vis animai.) v 373. possunt, (827. possit.) v. 374. coelo, (829. menti.) [26]). Quod igitur per se iam verisimile dici nequit, poetam non vulgarem longum aliquem viginti pluriumque versuum locum bis posuisse, vt similem quandam rem expositurus nouis aliquot versibus pangendis supersedere posset, id multo minus probabile dicet, qui vtriusque loci naturam et mutationes in alterum inductas accuratius considerauerit. Licet enim in vtroque loco ad oppugnandam quum animi tum mundi ae-

---

26) Non in omnibus lectionibus Wakefieldum sequutus sum, qui nonnulla temere mutasse videtur. Sic V, 352., vt omnes formas insolentiores cupide arripere solet, ex vno Cod. Voss. II. recepit *necessum est*, quae si vera fuisset lectio, quum et haec forma Lucretio satis vsitata sit, non in omnibus reliquis libris in *necesse est* mutata esset. Porro v. 363. omnium, quotcunque cogniti sunt, librorum auctoritate spreta nec vlla causa mutationis addita, in contextum intulit lectionem *dissiliat*, qua minime est opus. Denique l. III. v. 815. vulgarem lectionem *ideo* e duobus modo Codd. Voss. mutauit in *etiam*, quae tantum correctio videtur e loco parallelo petita. Reliqui enim libri omnes aut vulgatam tuentur, aut *igitur* praebent, quae scriptura et ipsa lectionem *ideo* comprobat.

ternitatem Lucretius et illo argumento ab atomis petito, in omnibus rebus cum inani coniunctis nullisque finibus clausis et ab externis viribus defensis, commode vti potuisset, illam tamen rationem, qua in nostro loco, quae l. V. aptissime de mundo dicuntur, non contorte solum, sed plane inepte ad animam translata vidimus, neutiquam Lucretio dignam censeo. Quid enim? num Lucretianum videtur, si v. 824. mentis molem legimus commemoratam? an si de clade pericli sermo est, quae menti importetur? an conuenit auctori nostro argumentum illud, non deesse in vniuerso spatium, in quod anima e corpore humano effluere possit, quod de mundo adhibitum optime quadrat, de anima vero plane ineptum est. Porro ab alio quodam non admodum docto auctore hunc locum profectum esse, aliae etiam vocum nonnullarum aut insolentiorum, aut male intellectarum mutationes produnt. Sic pronomen *qui*, quod V, 363. in verbis „neque extra Qui locus est" optimi quiuis libri exhibent, hic v. 818. vulgari modo in *quis* mutatum videmus; pariterque verbo *corruere*, v. 369. obuio, quum actiua significatione pro vna prosternere minus vsitatum sit, nostri loci auctor v. 824. *proruere* substituit. His autem argumentis coronidis instar accedit Codicum auctoritas. In omnibus enim libris MSS. praeter vtrumque Cod. Voss. pariter ac in editt. vett. ante Aldinam in lucem emissis v. 820-829. prorsus desiderantur, in duobus vero illis MSS. certe v. 829. omittitur, ita vt de hoc loco antiquitus iam magnam fuisse dubitationem, satis manifestum videatur; Wakefieldi enim obseruationem, „scribas delicatulos versus illos omisisse, qui non ferrent Lucretium capita priorum argumentorum sic summatim denuo percurrentem," vix aliquis probabilem dicet. Haec ergo omnia me mouent, vt seriorem Lucretii editorem omnia argumenta

ad refellendam sententiam de animi immortalitate idonea hic collecturum, quum l. V. inuenisset illam de fragilitate mundi disputationem, quam in summa rei etiam ad animi naturam aptam esse intelligeret, hanc, ne quid deesset, varie mutatam nostrum in locum transtulisse putem.

His locis longioribus quamquam alios plures eiusdem ambitus facile addere possim, praestat tamen hic etiam vnum certe breuiorem inspicere, qui et ipse non solum sine idonea causa, sed ita, vt rectum sensum dictorum impediat, repetitur. Versus enim l. I. 918. 919.

Fiet, vti risu tremulo concussa cachinnent,
Et lacrumis salsis humectent ora genasque,

qui II, 975. 976. paullo aliter sic leguntur:

Scilicet et risu tremulo concussa cachinnant,
Et lacrumis spargunt rorantibus ora genasque,

quidquid obloquantur interpretes, in priori loco nimis abrupti et alieni mihi videntur. Scilicet Lucretius in prioribus Anaxagorae sententiam, omnes res e coniunctione minimorum eiusdem generis et figurae corpusculorum originem duxisse, pluribus argumentis refutat, quam quum prorsus rerum naturae aduersari demonstrauerit, quae potius omnia ex atomis illis ab Epicuro probatis constare doceat, priusquam ad aliud placitum longe diuersum transit, versibus 914–917. omnia, quae antea dixerat, iam breuiter complexus, omnem disquisitionem hac conclusione finit: Denique, si Anaxagorae sententia probatur, omnis atomorum seu primordiorum notio prorsus tollitur et euanescit. At vero quam languide et inepte graui huic clausulae adiicerentur versus illi ironici et iocosi, qui, quum ne verbum quidem praegressum sit, quod tale quid exspectare iubeat, tam praeter opinionem positi quam maxime offendere debent. Longe alia alterius loci est ratio, qui totus

versatur in sententia, rerum primordia nullis sensibus praedita posse cogitari, ideoque aptissime admittit versus istos, iocose, lepide et, fere dixerim, petulanter atomis sensum, risum, lacrymas, disputationem adeo cum philosophis tribuentes, quos optime se habere et praecedentia et sequentia (inprimis v. 966. ss. et 982 ss.) luce clarius demonstrant. Quare ex hoc loco in priorem illum, qui interpolatori quodammodo similis videretur, ita translatos esse puto, vt, ne prorsus iidem dici possent; quaedam ex aliis Lucretii locis petita verba iis admiscerentur. „*Lacrymas* enim *salsas* effundere“ legimus I, 126. et illud *humectent* sumi poterat e verbis IV, 1187. „Et tenet adsuetis *humectans* oscula labris.“ Longe autem exquisitior et poeta dignior videtur altera locutio: lacrymis rorantibus ora genasque spargere, quam etiam Virg. Aen. VIII, 645. atque Ouid. Heroid. XV, 97. et Met. XIV, 708. imitati sunt.

3. Magis etiam, quam locis hactenus tractatis, sententia nostra confirmari videtur aliis quibusdam versuum seriebus, quae ex pluribus et diuersis locis repetitis magno labore consutae, sed prorsus superfluae et absonae adiiciuntur. Pertinet huc inter alios plures locus l. II. v. 1006-1021., qui, paucis modo versibus exceptis, ex aliis Lucretii locis est compositus. Versus enim 1006. quum iam valde similis sit l. I. v. 817., sequentes tamen 1007 et 1008. prorsus iidem sunt atque I, 818. 819. (qui aliis etiam in locis, vbi iterantur, an Lucretio ipsi tribuendi sint, valde dubito); v. 1012., vna vocula (*passim* in *refert*) mutata, idem est cum I, 825., sicuti v. 1014. cum sequenti prorsus respondent I, 820. 821. ita tantum mutati, vt verbo *constituunt* hic *significant* substitutum sit, ad sensum vero ita inflexi, vt, quae in altero loco de primordiis ipsis dicuntur, in nostro ad literas referantur; porro v. 1019., si ab eo dis-

cesseris, quod ille quarto casu exhibet, quae hic primo leguntur, eadem verba habet, quae II, 725. (conf. etiam I, 634.), et v. 1020. ex asse respondet I, 686. (conf. I, 635.) Quibus si additur v. 1013., ex I, 818. et II, 883., vt videtur, compositus, restant tantum v. 1009-1011., propter alienum sensum et orationem admodum suspecti, et v. 1016-1018. cum 1021., qui, siue sensum, siue compositionem spectes, ita sunt comparati, vt ab vno quouis homine, qui syllabas componere valeret, additi esse possint, inprimis quum verbum *discrepitare* in eodem versus exitu legatur VI, 1103. Sensum vero quod attinet et finem auctori propositum, hos versus non minus offendere, quisque facile intelligit. Longa enim disputatione de primordiis rerum colore et sensu non praeditis (v. 729-989.), quae omnem de atomis finit disquisitionem, loco illo admodum elegante de omnium rerum in terra conspicuarum ortu e coniunctione aetheris et terrae atomorum (v. 990-1005.) apte clauso et finito, atque ita transitu parato ad sequentem disputationem, praeter nostram terram plures alios eiusmodi materiae concursus declaraturam, mirum quantum languent, quae inde a. v. 1006. amplius adduntur et nihil aliud continent, nisi quod iam antea locis longe aptioribus dictum est. Nam non solum placitum illud, ex vario ordine, positura et coniunctione atomorum diuersarum rerum originem deducendam esse, praeter illum locum, ex quo hic repetitum est, in proxime antecedentibus iam adfuit v. 882. ss. et 893. ss., sed etiam comparatio atomorum cum literis, pro vario ordine varia efficientibus verba, Lucretio, vtpote rem optime illustrans, valde adamata, praeter libri I. locum, cuius verbis hicce iterata est, legebatur iam l. II. v. 687 ss. Versus autem 1009-1011., quamuis interpretes in iis explicandis se torserint, mihi plane alieni hic videntur et ab inepto homine conficti.

Voluisse ille quidem videtur hoc: Noli putare, atomos posse semper in iisdem corporibus aeternum duraturis remanere, siquidem potius perpetuo mutant suum locum et nouis corporibus gignendis inseruiunt; sed primum haec sententia importune interpellat eam, quae per v. 1001-1008. et porro 1012-1021. decurrit, de varietate rerum pro vario ordine et positu atomorum, vnde conflatae sint; deinde videat mihi aliquis, quomodo auctor horum versuum hanc suam sententiam enunciauerit! *Non penes aeterna resident atomi* [27]), i. e. non in aeternis corporibus remanent, non in aeternum eadem corpora constituunt; quis autem Latinorum vnquam sic dixit? tum in verbis *in summis fluitare rebus* (quae ad exemplum l. IV. v. 444. composita videntur,) nemo facile agnoscat, quod auctor hic dicere voluit et debuit: ex vno corpore in aliud transire; denique ipsos atomos scripsit subito nasci subitoque perire, quod potius de corporibus valeret ex atomis natis et nascituris. Quare de his versibus non minus, quam de omni loco mihi videtur dubitandum.

Alius huius generis locus legitur l. V. v. 420-432., qui e tribus certe aliis Lucretii locis miro modo est compositus, quod vt breuius et clarius indicemus, signo aequalitatis adhibito sic ante oculos ponamus: v. 420-422. = I, 1020-1022; v. 423-427. = V, 188-192. (et v. 423. 424. quodammodo etiam respondent versibus priorem locum parallelum sequentibus I, 1023. 1024.); v. 429. = I, 1025; v. 430-432. = II, 1060-

---

[27]) Lectio enim *penes*, omnium, qui adhuc innotuerunt, Codicum et editt. vett. auctoritate firmata, vtique retinenda videtur, ita vt altera, *parum*, quam Pius in „priscis exemplaribus" se inuenisse testatur et propterea recepit edit. Juntina, antiqua correctio viri cuiusdam docti habenda sit, qui loco suspecto ita succurrere studeret.

1062. Mutationes vero in his versibus factae sic se habent:

V, 423. Sed quia multa modis multis
V, 188. Namque ita multimodis multa

V, 427. possent; V, 192. possint.

V, 429. Omnigenos coetus et motus
I, 1025. Omne genus motus et coetus

V, 430. conueniant — conuenta
II, 1060. (coaluerint) — coniecta,

vt facile appareat, nostro in loco fere vbiuis vulgaria et vsitata exquisitioribus et minus vsitatis esse substituta. Vt enim leuiores mutationes et verborum transpositiones taceam, primum qui hos versus repetit quum non concoquere posset accusatiuum absolutum *omne genus*, pro genitiuo „omnis generis motus et coetus" positum (de quo multus est Wakefield. ad IV, 739.) [28]), mutauit eum in adiectiuum *omnigenos*; deinde verbum illud, quo II, 1060. cohaerentiam atomorum expressam vidit, insolens haud dubie et minus notum [29]),

28) Cui tamen non adsentior in loco I, 164., vbi vulgaris ratio omnino praestare videtur, quum non solum ordo verborum, sed etiam vox *aliae* aperte indicet, pecudes domesticas, in quibus et armenta, hic a feris animalibus discerni.

29) Gifauii enim coniectura *coaluerint*, quam Wakefield. recepit, non magis quam Lambini diuinatio *cooluerint*, ab Hauercampo probata, super omnem dubitationem elata videtur. Dolendum sane est, in hoc loco, ingenti lectionis varietate obruto, nec Hauercampum, nec Wakefieldum singulorum librorum lectiones accurate attulisse, vt certum de eo iudicium ferri possit. Illius enim silentio, ex quo concludendum esset, Codd. Voss. et Bodl. tueri Lambini illam coniecturam, quam nullus alius liber MS. agnoscit, vt in aliis, sic hoc etiam in loco fidem non habendam puto; hic autem molem quidem variarum lectionum adscripsit, sed Codicibus, qui eas exhibeant, non in-

çum *conuenire* permutauit, παρηγμένῳ etiam (conueniant — conuenta) adhibito, quo loci ornatum haud dubie mirifice augeri opinatus est [80]). Superest tantum v. 428., qui sic quidem, vt hic legitur, alias in carmine nostro non occurrit, ad aliorum tamen locorum exemplum, in quibus eaedem formulae et voces deprehenduntur (vt I, 584. IV, 75. V, 62.) facile componi potuit. Quod autem hoc modo de singulis verbis vidimus, nullum fere huic loco inesse, quod non antea iam eodem connexu eademque significatione lectum sit, id multo magis de omni sensu valere, ex ipsis illis locis, e quibus hunc fluxisse statuo, apparet, ita vt versus nostri, quum nihil iis contineatur, quam quod iisdem verbis antea iam dictum sit, nec iis omissis sententiarum connexus mancus et interruptus dici possit, ab aliena manu adsuti videantur.

Non minus huc referendus est locus VI, 55-66. e duobus aliis repetitus et prorsus superfluus, qui non copiosa eget demonstratione. Versus enim 55 et 56. longe aptiori loco legebantur iam I, 154. 155. (et

---

dicatis. Quae quum ita sint, non superfluum videbitur, si ex iis, quae mihi ad manus sunt, subsidiis lectionis varietatem accurate indicaverim, vt fortasse aliis occasionem praebeam hunc locum, cui restituendo ipse me imparem sentio, sanandi. Cod. Vind. igitur, nonnulli Pii Codd. et edit. Junt. exhibent *colarunt*, Fragm. Vind. *colerent*, Ald. II. *coierunt* (quam lectionem etiam Pius in libris inuenit et editor Florent. inter varr. lectt. attulit), Ald. I. et Pius *coarctarint*, Junt. inter varr. lectt. *coarctarunt*, edit. princeps Brix. *coharrant*, Veron. vero cum Veneta *coartant;* vnde hoc certe colligendum puto, obsoletum quoddam et minus vsitatum verbum a Lucretio hic positum fuisse et quidem in subiunctiuo praesentis, quod non solum plerarumque variarum lectionum terminationes *ant*, *ent*, *unt*, sed etiam mutatio *conueniant* in altero loco facta indicare videntur.

80) Simile παρηγμένον, in loco non minus suspecto supra vidimus p. 25.

infra VI, 89. 90. iterum repetuntur, de quo loco postea sermo erit), v. 57-65. vero sine vlla mutatione adfuerunt iam l. V. v. 83-91., ita vt solus v. 66. tanquam clausula satis languida nec vllo modo necessaria a seriori manu addita videatur. Sensum autem quod attinet, quis non videt ieiunam illam tautologiam v. 55 et 56., qui, quum nihil plane amplius contineant, quam quod versibus praegressis dictum erat, ab homine parum sane ingenioso ex altero illo loco huc tracti videntur, vt quasi interpretamento priorum versuum lectoribus omnia minima velut praemansa in os ingereret. Simul vero cum his versibus cadunt et sequentes, qui, licet ab hoc loco non alieni, prorsus tamen superflui sunt censendi, quare quum l. V. iisdem plane verbis iam lecti sint, et hic, omnibus his omissis atque v. 67. statim versui 54. subiuncto, omnia bene cohaereant nec aliquid desideretur, hos etiam versus ab eadem manu, quae v. 55 et 56. ex altero loco addidit, iteratos esse censeo. Versum autem 66. facillimo negotio a seriori interpolatore proprio Marte addi potuisse, quis neget? inprimis quum quae in eo Lucretiana videantur, omnia e pluribus aliis locis deprompta esse possint. (Conf. inprimis I, 333. Nec sinet *errantem* dubitare. III, 754. falsa *fertur ratione.* IV, 448. qua *ratione feruntur.* V, 23. longius — *a* vera *ratione ferere.* V, 1004. *ratio caeca* iacebat [51]).

Alium denique addam locum similem VI, 86-90., qui non solum prorsus superfluus, sed absonus etiam et e duobus aliis locis est compositus, quum v. 68-88. infra rursus legantur v. 382-384., v. 89. vero

---

[51]) Lectio enim a Wakefeldo nostro loco restituta *caeca ratione* comprobatur etiam omnibus editt. vett., Brix. Veron. Ven. Ald. I. et II. Bonon. et Juntina.

et 90. (quos alio etiam huius libri loco temere repetitos esse modo vidimus p. 52. s.) iam I, 154. 155. adfuerint. Absonum vero hunc locum dixi, quod, quum auctor in praecedentibus capita disputationis iam instituendae paucis tantum verbis indicet, quae de fulmine eiusque metu adduntur, paullo longiora et ampliora mihi videntur, quam quae huius loci rationi apte conueniant. Certe si hic iam Lucretius hos versus posuisset, non infra eos rursus nobis recoxisset, in quo tamen loco quam apti sint et necessarii quisque videt. Quae omnia efficiunt, vt Lucretium hunc locum v. 85. apte et grauiter finiisse, versus autem repetitos a seriori interpolatore additos putem.

Omittam iam plures alios versus non minus suspectos (vt V, 1215. 1216., quorum prior legitur etiam I, 1003., posterior vero supra in hoc ipso libro iam occurrit v. 380., vterque autem offendit *aeui* voce repetita, ita vt Wakefieldus etiam fortasse errorem latere suspicatus sit, qui tamen, Codd. vniuersis consentientibus et omni loco e prioribus iterato, singulis modo verbis vix inesse potest; porro II, 521. 522., qui, quum legantur etiam v. 477. 478. et v. 528. rursus incipiat verbis: *Quod quoniam docui*, quam maxime offendunt etc.) vel in alterutro certe loco prorsus superfluos et sine detrimento abiiciendos (v. c. II, 722. 725., obuios iam II, 336. 337; V, 112. 115., qui aderant etiam I, 739. 740. etc.), et transibo potius ad aliud disputationis meae argumentum, quod modo tractato maxime affine reperietur.

II.

In omni scilicet Lucretii opere admodum offendit mira quaedam singularum sententiarum confusio et perturbatio, ita vt plura plane alieno loco posita sententiarum connexum inepto modo misceant et interrumpant, alia, quae antea iam dicta sint, post breue interuallum aliis tantum verbis ad taedium lectorum repetantur, alia denique, omni disputatione iam finita, admodum ieiune et otiose, interdum aliis etiam locis prorsus repugnantia, addantur. Jam licet verum sit, omnem Epicuri philosophiam minus, quam aliorum philosophorum rationes, logicis niti fundamentis, et magnam partem e variorum philosophorum admodum diuersis placitis conflatam, non vnum aliquod continuumue philosophicae scientiae corpus efficere, sed ipsam interdum confusam videri et sibi repugnantem, illae tamen turbae et confusiones in Lucretii carmine obuiae tales sunt, quae vel quemuis hominem natiua iudicandi facultate praeditum, non dicam philosophicis praeceptis aliquantulum imbutum, male habere et fastidio adficere debeant, vt, si eas Lucretio ipsi tribuere velimus, hunc non solum philosophi personam in illis locis plane seposuisse, sed etiam consilii sui, de quo supra diximus, prorsus immemorem fuisse sumendum sit, quorum tamen neutrum ex omnis operis indole et natura probabile fieri videtur. Quae ne temere dixisse videar, exempla aliquot sunt adferenda, in quibus tamen, ne huius libelli ambitus nimium augeatur, quid mihi velim interdum magis subindicare tantum, quam fusius exponere licebit.

Sic igitur, vt ipsorum locorum ordinem sequamur, v. c. versus illi de patrii sermonis egestate, quae Graecae philosophiae expositionem difficillimam reddat, l. I. v. 137-146., alieno loco positi videntur, quum v. 147. arctissime cohaereat cum v. 136. et in omni loco superiori sermo fuerit de vulgi superstitione et religioso inprimis orci et spectrorum metu, naturae recta contemplatione et rationis vsu penitus reprimendo, quae auctori, ad singula philosophiae suae praecepta transituro, aptam praebeant occasionem primum placitum, nullam rem deorum ope ex nihilo exoriri, statim adnectendi. Quam intempestiue vero et inepte his inserantur versus illi, quibus auctor de vernaculae linguae egestate multa queritur, nemo non videt, inprimis qui rationem obseruat, qua singulae sententiae inter se sunt nexae et coniunctae (v. 137. *Nec me animi fallit*; v. 147. *Hunc igitur* terrorem etc.) Fortasse sola illa vox *tenebras* insulsum interpolatorem monuit, vt, quum in prioribus de terrore quidem, non vero de tenebris rebusque obscuris sermonem fuisse videret, hic aliquid deesse ratus, illos versus, quorum postremos huic verbo apte respondere censeret, ex alio loco huc inferret. Jam vero si quis ex me quaerat, quisnam sit alter ille locus, e quo hos versus huc translatos putem, respondeo, post v. 56. aptissimum mihi videri locum, quem olim eos obtinuisse arbitrer, ita vt etiam placito illo de deorum natura e libro II. inepte ibi repetito (vid. p. 35.) iusto suo cum ceteris connexu moti haberi possint. Sic enim omnia melius cohaerere videntur, siquidem varia nomina primordiorum seu atomorum v. 53-56. posita facillime inducere poterant in sententiam de egestate linguae, quae omnem hanc disputationem admodum difficilem reddat (v. 137-146). Haec autem de suo consilio et difficultate id exsequendi modeste praefatus, priusquam Epicuri placita ipsa exponere incipit, breuem narrationem de origine philo-

sophiae et de meritis eius aptissime intexit, vnde, omnibus satis bene connexis, ad singula praecepta exponenda transit.

Non minori iure offendunt I, 209-215., qui hoc quidem loco plane contra auctoris mentem additi videntur. Lucretius enim, nullam rem e nihilo exoriri demonstraturus, hoc inprimis studebat comprobare his quinque argumentis, quod omnia e certo tantum et proprio semine exoriantur (v. 160-174.), pariterque non nisi certo quodam anni tempore progerminent et nascantur (v. 175-184.), nec extemplo, sed paullatim et iusto temporis spatio crescant et maturitatem adsequantur (v. 185-192.), nihil porro sine propriis alimentis, plantas non sine pluuia, animalia non sine cibis procreari et seruari possint (v. 193-199.), omnia denique certis et definitis spatii temporisque terminis cohibeantur, quos nec crescendo nec viuendo transgredi liceat (v. 200-205.); e quibus omnibus prodit conclusio, v. 206. ss. obuia: Nil igitur fieri de nihilo posse fatendum est etc., a qua auctor aptissime transiret ad alteram disputationis partem, scilicet vt e nihilo nihil oriatur, sic nihil etiam ad nihilum reuerti, quae v. 216. incipit. Jam vero, vt nunc quidem habemus carmen Lucretianum, praeit haec verba sextum illud argumentum prioris sententiae, conclusioni iam factae additum, nec tamen quidquam noui complectens, quod non primo et quarto argumento iam contineatur. Quanam enim alia in re versatur summa agriculturae, quam quod seminibus terrae mandatis arando, occando, stercorando vel plura et meliora praebentur nutrimenta, vel iis, quae natura ipsa suppeditat, in vsum suum conuertendis aptiores herbae redduntur? Ecquid igitur aliud hoc argumento dicitur, quam in terra latere semina plantarum, quae, nisi externis quibusdam adiumentis adhibitis, nullos fru-

ctus procreare possint, qui vtrum a natura viliores, an per artem meliores edantur, ad nostram rem prorsus perinde est. Quare mihi certe omnino superfluum videtur illud argumentum, quod praeter parum opportunum locum eo etiam in suspicionem incurrit, quod v. 212. 213. repetiti leguntur V, 211. 212., qui locus, prorsus eandem sententiam continens, fortasse omnis huius additamenti adsuendi ansam dedit.

Ne secundum librum plane silentio praetermittam, vnum certe eius locum delibare liceat. Quem enim non male habent v. 841. ss., in quibus eadem sententia iisdem fere verbis bis repetitur? (conf. v. 841-845. cum v. 855. ss.) quae autem praeterea adduntur, tam mire sunt expressa, vt vix a Lucretio profecta esse possint. Quomodo enim qui antea docuerat, primordia omni odore, sonitu etc. destituta esse, v. 855. ss. dicere potest: „eundem [32]) odorem suum rebus gignundis non debent adhibere?" vnde necessario sequeretur, ipsa vtique odore esse praedita, quem tantum rebus procreandis non impertire iis liceat. Quaenam autem est causa, cur odorem *suum* rebus concursu suo exortis adhibere non *debeant*? „Quoniam nihil a se mittere possunt." Num igitur odorem suum, qui tamen antea iis prorsus negatus erat, retinent etiam coniuncta et comprehensa corporibus? Vtut ergo sententiam inflectas, semper peruersa manet et Lucretii menti contraria. Sed etiam quod similitudinis causa praecedit exemplum vnguenti ex oleo et odoribus confecti sic certe, vt hic legitur,

---

32) Sic enim legitur in omnibus fere Codd. et editt. vett., a quibus solus vterque Voss. discedit, admodum procliui errore *eandem* exhibens, vnde Wakef. coniectura fecit *eadem*, scil. via, ratione. Antea iam Auancius in Ald. I. aliam haud dubie coniecturam receperat *tandem*, sicut in vulgaribus editionibus non minus contra omnes libros MSS. *demum* inuenitur.

non bene ad sensum quadrare videtur. Primum enim non intelligitur, quare auctor de odore modo tam multa verba fecerit, quum cetera attributa primordiis deneganda nomine tantum commemorauerit; deinde vero, quod cocturis vnguenta olei genera non olentia adhibenda dicit, ne oleum foetidum suo odore omne vnguentum inficiat eiusque suauitatem perdat, eo comparatio ipsa in alienum sensum auertitur, quae huic sententiae illustrandae facta est: e primordiis odore carentibus corpora odorata oriri posse. Quare et hos versus, licet non omnino Lucretio abiudicare ausim, hic tamen non eo, quo ab auctore posita erant, ordine et connexu legi omnemque locum turbatum et corruptum esse censeo, quod aliquatenus certe comprobat etiam Nonii grammatici auctoritas, c. 2. n. 913. haec referentis: „Viro etiam pro virtute naturali. Lucret. libro II. Concoctasque suo seruare et perdere viro;" quem omnem hunc locum aliter, quam nunc legitur, constitutum ante oculos habuisse fortasse non iniuria colligamus [23]). Addo tantum, v. 946-957. hic omissis, omnia melius, quam nunc se habent, cohaerere, nec aliquid desiderari, quod versibus illis deletis ad sensum necessarium contineatur.

E libro tertio praeter alios huc referendos puto v. 276. cum sequentibus, quos qui accuratius

---

[23]) Ceterum etiam in Nonii loco vitium latere nemo non videt, quum, etiamsi in eius Codice omnis loci nostri ratio alia fuerit, verba tamen *seruare* et *perdere*, vtpote sibi prorsus contraria, simplici copula *et* vix coniungi possint. An fortasse Nonius scripserit: Concoctosque suo *superare* et perdere viro? quod, notissimo compendio syllabae *per* expressum, facile in *seruare* transire poterat, et huius loci sensui et Lucretii loquendi rationi apte conueniret. (Conf. II, 569. 575. IV, 668. 1210. V, 597. 412. etc.)

considerat, vix ita, vt nunc se habent, a Lucretio profectos esse iudicabit. Quid enim? num credibile est, vnum eundemque auctorem, nisi prorsus insulsus et insipidus fuerit, quae v. 276. dixerat:

Atque anima est animae proporro totius ipsa,

haec post breue interuallum v. 281. s. sine vlla causa iisdem paene verbis sic repetiisse:

Atque animae quasi totius ipsa Proporro est anima?

Quaenam praeterea v. 277-282. proba et iusta inest sententia? Vt omnis anima, quippe quae minimis corporibus constat, in toto corpore latet, sic etiam pars eius tenuissima et nominis expers, vtpote ex minutis corpusculis composita, in corpore latens intelligitur; ergo quod de toto, hoc etiam de parte valet. Quid autem magis ieiunum et inane cogitari potest? Porro ita etiam prolata est sententia, vti vix a Lucretio scriptam esse dixerim. Vt enim non vrgeam tautologias illas *in nostris membris et corpore toto, animi vis animaeque potestas*, formula *quod, hoc, id genus*, licet saepius absolute sibi vsurpata, nunquam Lucretius vtitur, nisi in exemplis illustrandi causa adferendis, vt semper valeat *cuius generis, quomodo verbi causa, sic per exemplum*, nunquam vero in meris comparationibus eam vsurpat, ita vt simpliciter significet *sicut, quemadmodum* [34]), quod tamen in nostro loco statuendum esset, a quo notio illa exempli prorsus aliena est. Ceterum verba *nominis expers* e v. 245. repetita sunt, quae autem v. 282.

---

[34]) Huic obseruationi non aduersatur locus statim praegressus v. 267. ss., vbi *quod genus* optime explicari potest per: quomodo verbi causa. Imo hunc ipsum locum nostrorum versuum auctor male imitatus videtur; quum per se non admodum probabile sit, Lucretium hac formula in vno eodemque loco post breue interuallum iterum vsum fuisse.

leguntur verba *et dominatur corpore toto*, ad exemplum v. 709. conficta videntur.

Porro huc pertinere censeo l. IV. v. 122-129. Lucretius, quam tenuia sint simulacra seu imagines a superficie rerum solutae, expositurus, omnino prouocat ad subtilitatem primordiorum, e quibus simulacra etiam composita sint, quam e paruitate quorundam animalium ostendere studet. Quibus quum addat exemplum ab odorum primordiis petitum, quae tam exilia sint et minuta, vt, quamuis naribus percipiantur, neutiquam tamen conspici possint, licet hoc per se nihil habeat, quod offendere possit, ita tamen, vt hic expressum est, vix a Lucretio propositum fuisse arbitror. Primum enim vox *simulacra*, quam hic de corpusculis ex odoris rebus effluentibus vsurpatam videmus, in triginta pluribusque versibus, in quibus apud Lucretium occurrit, semper de imaginibus tantum adhibetur, quae per membranulas illas, quas saepius dixi, formatae in oculos cadant sensumque videndi lacessant, vel de iis etiam spectris, quae in somniis animum moueant et percellant (vt huius libri v. 762. 772. 789. 1026. 1092.), quibus admodum similes sibi cogitasse videtur Lucretius illas tenuiores adeo imagines, quae quasi internos animi oculos stimulantes omnem rerum notiones sibi informandi facultatem efficiant et propterea ipsae quoque simulacra nominantur (conf. inprimis v. 753 ss. 728. 737. 759. 782. 879. 1054. etc.). Nunquam vero de aliis particulis e rebus emissis, quam quae corporis vel animi quasi oculis percipiantur, hoc verbum vsurpatum inuenimus, vt potius v. 604. et 613. simulacra ab aliis particulis rebus emanantibus, quales ibi sunt vocis et soni corpuscula, diserte discernantur. Quare in nostro loco vox illa prorsus contra Lucretii morem adhibita videtur, quod non minus

valet de verbis praecedentibus *Quin potius* [85]), non solum praeter Lucretii, sed contra cuiusuis alius boni scriptoris consuetudinem vsurpatis; quae vt excusemus, etiamsi ad Hauercampi sententiam confugiamus, versum aliquem librariorum incuria excidisse statuentis, quod sane ob miram versui praecedenti adiunctam in libris clausulam [86]) non omni caret similitudine veri, alia tamen restat difficultas, quam M e i n e c k i u m iam sensisse video. Maxime enim offendunt verba illa *cassaque sensu*, quae si ita interpretaris, vt corpuscula odoris ipsa nihil sentire pronuntientur, non solum prorsus absona et inepta sunt, sed etiam ad verba praecedentia *nulla vi* non bene quadrare videntur, si vero ita intelliguntur, vt vim nullam in sensus exserere dicantur, tum aduer-

85) Sic enim praeter edit. principem omnes etiam Codices habent, vno Mus. Brit. II. excepto, qui praebet *Quando potius*, lectionem non magis ad sensum quadrantem. Tertiam autem lectionem, quae in editt. Ald. I. II. Bonon. et Junt. apparet, *Quam primum* non nisi coniecturam esse patet. Vossius ad Catull. p. 270. coniecit: *Quin potis es*, vt *quin* positum sit pro *etiam*, quam tamen significationem vere hanc particulam habere, iis etiam, quae Gifanius et Hauercampus commemorant, locis non adducor vt credam. In altero enim, quem e Lucretio ipso adferunt, II, 29., primum scriptura fluctuat inter *Quum tamen*, *Quin tamen* et *Attamen*, atque etiamsi *quin* praeferendum esset, non, vt Hauercampo visum est, per *etiam*, sed potius per *imo*, *nihilominus* explicandum foret. In loco Terentii autem, quem Gifan. adduxit, Heaut. III, 3, 21. pariter *quin* non simpliciter *etiam* significat, sed *imo etiam*, *adeo* (ist es doch selbst mir unangenehm.)

86) In omnibus enim libris MSS. et editt. Brix. et Ven. (nam in Veron. omnis locus a v. 123. vsque ad 192. desideratur) pro vulgari Lambini lectione *ciebis* legitur *duobus*. Editt. Ald. I. II. Bonon. et Junt., hic etiam correctae, exhibent *mouebis*, quod Wakef. recepit, ceterum, vt Hauercampus, locum conclamatum relinquens.

santur et verbis *quin potius noscas* et omni rei naturae, quum, licet oculis non perspiciantur corpuscula illa odoris, naribus tamen sentiantur. Denique accedunt v. 128 et 129. e priori loco (v. 175. 176.) sine iusto sensu huc translati [37]) nec in vllo MS. nobis cognito apparentes (vid. p. 18.), qui, siue a librario aliquo, siue ab Aldinae I. editore, in qua primum leguntur, additi sint, hunc iam in loco nostro offendisse nec quo referatur intellexisse demonstrant. Quibus omnibus de causis totum locum admodum suspectum habeo.

Prorsus mire et intempestiue etiam inserti leguntur eiusdem libri v. 667-676.. qui, vti nunc se offerunt, cuiuis lectori scrupulum iniiciant necesse est. Lucretius nimirum, de gustu et sapore exponens, eius varietatem partim ex ipsorum primordiorum, quibus cibi et potus compositi sint, varia forma et figura, partim e diuersitate foraminum atque viarum in corpore animali, oris inprimis et palati, quas alimenta permeare debeant, explicare studet, quae efficiant, vt his nutrimenta sint, quae illis ve-

---

[37]) Si omnino sensum quendam inesse velimus, nullus alius esse possit, quam qui a Gassendo (Animadv. in X. Libr. Diog. Laert. Lugd. 1649. p. 243.) sic exprimitur: „Sensus est: cum tanta corpusculorum copia ex hisce rebus exhaletur, vt vicinum aerem compleat; dici non potest, quantula sit pars, quae ex superficie deripitur, cum tanta simul interim ex partibus vsque interioribus profundatur: ac proinde cum imago sit ex iis dumtaxat, quae ex superficie dimanant, et ne omnibus quidem (nam et aliqua feriendo olfactui destinata sunt), sed ex iis solum, quae cum visu seu sono habent analogiam; excedere fidem, quantae tenuitatis imago esse debeat, et maxime, cum post multum tempus nihil, quod sensibile sit, exhalatum deprehendatur." — Omnis vero ingeniosa haec explicatio cadit, si vera sunt, quae de significatione vocis *simulacri* supra disputauimus.

nena, vt alia aliis dulcia, aliis amara videantur etc. Quibus quamuis recte adderetur obseruatio, propterea etiam aegrotis interdum aspera et amara videri, quae prospera valetudine vtentibus dulcia et iucunda fuerint, sic tamen, vt hic verbis concepta est, omnino Lucretio indigna iudicari debet. Primum quam mira ratione cum prioribus coniuncta est! Ex iis enim, quae in prioribus doceri modo diximus, quomodo *quaeque* cognoscere liceat, quisnam intelligit, inprimis quum vna tantum res sequatur, quae inde explicari possit? Non magis autem apparet, quid sibi velit v. 675. cum sequente. Mel enim cur hic commemoretur, omnino nulla iusta causa indagari potest, multo minus quo pacto haec verba particula *enim* prioribus tanquam causa adiungi queant, quum ex omnibus, quae praecedunt, mutati saporis causa non in ciborum, sed in aegroti conditione quaerenda sit. Porro quaenam sunt *vtraque* illa, v. 675. melli attributa? Haud dubie dulcia et acerba, quamquam haec magis diuinari, quam colligi, debent e prioribus. At vero quis vnquam putauit, mel amaras etiam et acidas partes continere? Ne Lucretius quidem, licet saepius adeo hoc se dixisse nostro in loco disertis verbis indicaret; imo haud raro mel vtpote summae dulcedinis exemplum laudat (conf. I, 937. siue IV, 13. I, 946. seu IV, 22. II, 398.); quare etiam v. 676. cum prioribus non cohaerere videtur, quem licet Wakefieldus sic excusare studeat, vt auctorem in vniuersum placitum de diuerso semine in vnoquouis corpore latente respicere dicat, miro tamen et obscuro modo priori versui adiectum censeo. Sic igitur, licet v. 668-674. Lucretium non omnino spoliauerim, rationem tamen, qua hic inserti et spuriis nonnullis versibus admixtis cum prioribus et posterioribus coniuncti sunt, non Lucretianam duco.

Magis etiam ex alio loco apparebit, quantae turbae iam ante omnium Codicum nostrorum aetatem in Lucretio motae sint. Versus dico eiusdem libri 772 ss., qui ab omni tempore crux interpretum fuerunt, quamuis nemo eorum animaduertit cardinem, in quo omnis res versatur. Postquam igitur diximus, sermonem esse de mentis humanae notiones sibi fingendi omninoque sentiendi facultate, tenuissimis rerum imaginibus seu simulacris animum stimulantibus effecta, quam mentis effectionem auctor in proxime praecedentibus simillimam dicat animae potestati in somniis se exserenti iisdemque rerum simulacris excitatae et nutritae, iam singulos versus loci nostri, vt in Wakefieldi editione apparent, ex ordine inspiciamus. V. 772-774. licet per se prioribus facile adiungi possint, admodum tamen suspecti redduntur v. 789-792., in quibus plane eadem sententia verbis longe elegantioribus repetitur. Porro quam languidi et superflui sunt v. 774 et 777. Versus autem, qui interiecti sunt, 775 et 776. in omnibus libris MSS. et editt. vett. iterantur post v. 800. (vbi, a prioribus editoribus omissi, a Wakefieldo, Codd. auctoritatem sequuto, restituti sunt,) pariterque post v. 777. in omnibus scriptis libris et antiquioribus inter excusos typis repetitur v. 800., quem, simul cum duobus sequentibus a serioribus editoribus hic omissum, idem in contextum recepit Wakefieldus. Duo autem versus sequentes, et ipsi in omnibus Codd. conspicui [38]);

---

[38]) In Codice quidem Vindob., si Alteri silentio fides est habenda, hi tres versus non leguntur. Ab omnibus vero reliquis libris hunc vnum Codicem, qui alias fere nunquam praebeat lectiones, ab aliis membranis non exhibitas, hic tantopere dissentire, Wakefieldus iam non valde probabile duxit,

Tantaque sensibili quouis est tempore in vno
Copia particularum, vt possit subpeditare,

etsi non propter aliquam repetitionem, tamen ob internas causas maxime offendunt. Primum quantopere claudicent post versum

Tanta est mobilitas et rerum copia tanta,

aptissimam, vt videtur, totius loci clausulam, quisque vt sentiat necessarium puto, quum meram tautologiam contineant, quamuis quodammodo amplificatam et, omni loco male intellecto, versibus 795-799. accommodatam, de quibus statim videbimus. Deinde etiam vox *sensibilis* scrupulum mouet. Vt enim nihil dicam de vi et significatione, qua hic adhibetur, in forma etiam huius adiectiui offendo, quod, licet Vitruuium quoque, Senecam Philosophum et seriores quosdam scriptores hic ibi eo vsos esse sciam, in hoc tamen Lucretii loco, aliis de causis iam suspecto, vix ferendum dixerim. Quum enim Lucretio in omni opere non nisi forma *sensilis* et *insensilis* vsurpetur [39]) (conf. II, 865. 869. 887. 892. 894. 901. etc.), nec in Ciceronis scriptis, quantum scio, vox illa vnquam appareat, an illa iam aetate

qui Altero non vbiuis temere credendum esse experientia se cognouisse affirmat. — Ceterum quum Wakefield. omnes illos versus, quos iteratos in Codd. inuenit, receperit quidem, sed non in versuum numerum admiserit, singulos huius loci versus e vulgari ratione numerandos censui.

39) Verum quidem est, Priscianum l. IV. p. 632. Putsch. (T. I. p. 158. Krehl.) l. II. v. 887. sic adferre: „Ex *insensibili* ne credas sensile nasci;" at vero quum Grammaticus in alio etiam verbo falsus sit, (*nasci* pro *gigni* exhibens) et praeter omnium Codd. auctoritatem etiam v. 901. eius rationi aduersari videatur, ei non magis fidem habeo, quam edit. Veron., quae II, 892. 894 et 901. eandem formam *sensibilis* praebet, metro violato et cunctis libris reclamantibus.

vocabulum nostrum in vsu fuerit, sane dubitandum videtur. Iam vero loco de motu spectrorum in somniis apparentium, vt videtur, finito, auctor, ad aliam materiam tractandam transgressus, v. 778-788. incipit nos docere, quomodo eueniat, vt simul atque rem aliquam cogitare velimus, extemplo imago eius animo obuersetur; at vero filo rursus abrupto, v. 789. iterum ad imagines illas redit, eandem de motu eorum disputationem, quam antea iam finiisse videbatur, denuo retractaturus, cui quae inde a v. 795. sequuntur pariter non conuenire videntur, ita vt omnem locum maxime confusum et perturbatum esse appareat. Dicam igitur, quid mihi de eo statuendum videatur. V. 772. ss. et v. 789. ss. vnius eiusdemque sententiae varias esse expositiones, quarum alterutra tantum a Lucretio proficisci potuerit, satis manifestum puto. Quare quum prior mire et languide expressa, partimque ex alterius versibus repetitis composita sit, haec seriori interpolatori tribuenda videtur, in posteriori vero, quae, licet manca et alieno loco interposita, simul cum seriori seruata sit, ipsius Lucretii manus agnoscenda. Versibus autem 789-794. ab eo, quem nunc obtinent, loco remotis, optime cohaerent v. 780-788. cum v. 795-799, quibus, omisso etiam v. 800., quem et sensus et repetitio in priori loco ad alteram de somniorum imaginibus disputationem pertinere demonstrat, apte rursus iunguntur v. 801. ss. Quare si quaeritur, quomodo tandem locus a Lucretio ipso profectus videatur, ex mea sententia sic fere constituendus erit: v. 771. 789-794., quibus ex altera loci parte mutila et corrupta addenda essent fragmenta v. 775. 776. et 800. seruata; tum v. 778-788. 795-799. 801. ss., vt igitur praeter repetitiones supra indicatas interpolatori tribuendi sint v. 772-774. 777. et duo illi in

Codd. versui 800. iam in superiori loco posito adiecti.

Inter locos ob sensum valde suspectos retulerim etiam eiusdem l. IV. v. 933. 934. qui non huius solum loci argumento, sed alii etiam Lucretii loco clare aduersantur. Auctor enim causas somni exponens, eas in auris sibi inuenisse visus est, quae partim extrinsecus, partim respirando absorptae intrinsecus etiam corpus adficiant et debile reddant, ita vt somni appetitus necessario sequatur. Iam vero num credibile est, Lucretium versibus illis de tutamentis, quibus natura animalia contra vim aurarum instruxerit, argumentum suum ipsum imminuisse et ex parte rursus sustulisse? Sed refragantur hi versus longae etiam disputationi illi v. 821. ss., qua Lucretius euincere studet, nullum corporis membrum, nihil omnino in omni natura, vsus causa et aliquo consilio esse prodreatum, imo vsum demum fortuitam rerum originem sequutum et ex ea ipsa deductum esse; quibuscum quomodo haec de coriis, conchis et corticibus animalium conciliari possint, equidem non perspicio. Denique ipsa horum versuum compositio et cum ceteris coniunctio ita est comparata, vt νοθείας signum in fronte quasi expressum gerere videantur.

Nonnullis libri V. locis, quos adferre possim, ne nimis amplificetur huius libelli ambitus, silentio praetermissis, vnum certe e libro VI. addere liceat, in cuius statim exordio inde a v. 42. quam maxime offendimus. Non enim repetitiones tantum, huic loco larga manu adspersae, quarum duas, v. 55-65. et v. 86-90. conspicuas, supra iam tractauimus p. 52. et 53, tertiam vero v. 34-40. contentam, (qui etiam II, 54-60. et III, 87-93. leguntur,) fortasse non minori iure reiecerimus, in omni hoc exordio maximas turbas excitatas esse produnt, sed alia etiam restant, quae suspicionem illam probabilem reddere

videantur. Sic inprimis v. 46-48. et 91-94., qui in vtroque loco, quo nunc leguntur, nimis abrupte et intempestiue inseruntur, olim arcte coniunctos fuisse censeo, quod, vel ipso sensu et argumento eorum monstrante, si sumitur, inde etiam duci potest fons corruptionis, quam v. 47., ab omnibus conclamato, ita videmus illatam, vt, cunctis libris montsra lectionum exhibentibus, coniecturis tantum locum sanari posse omnes viri docti censerent, quarum tamen quae hactenus propositae sunt, vix cuiquam comprobentur, licet ego quoque meliorem nunc quidem non in promtu habeam. Porro plane alieno loco leguntur v. 42–45., quorum verba extrema: „quae restant percipe porro“ aperte indicant, auctorem iam in ipsis philosophiae placitis exponendis perrecturum esse. Sed omissis etiam v. 46–48., de quibus supra dictum, versu 49., qui nulla prorsus ratione cum proxime antecedentibus cohaeret, rursus ad vniuersam illam obseruationem de superstitiosa religione auctor deflectit, in qua, repetitione vndecim versuum inserta, pergit vsque ad v. 78. Tum demum v. 81. et 82. denuo ad ipsam expositionem philosophicam se accingens canit:

Multa tamen restant et sunt ornanda politis
Versibus, et ratio coeli speciesque tenenda etc.,

quos tamen, priusquam ipsa rei tractatio v. 95. incipit, v. 86-90. tertia sequitur repetitio, cui adnectitur denique Calliopes illa inuocatio, quam plane inepto loco positam esse supra iam diximus. Quis, quaeso, haec omnia considerans, de summa huius totius loci confusione et corruptione amplius dubitabit? Iam vero licet difficile sit expromere, quae prima et vera huius loci forma fuerit et ratio, omissis tamen omnibus illis versibus ex aliis locis repetitis, hoc fortasse statuere possimus, Lucretium, vt l. V, 50. ss. fecerat, sic hic etiam ab Epicuri laude (v. 1-33.) ad suum vestigia eius sequendi consilium transiisse

Musamque inuocasse, vt sibi reliquam ad finem vsque viam praemonstrans, victoris corona aeternam gloriam et laudem conciliet; cuius corruptae et ex parte deperditae sententiae fragmenta in v. 46-48. et 91-94. quaerenda fuerint; tum vero, praegressis fortasse quibusdam versibus transitu inseruientibus de studio suo animos a superstitione liberandi (conf. IV, 7. ss.), posuisse v. 49-54., alio quodam initio prioribus nexos, quos deinde v. 67-85. et 95. cum sequentibus exciperent. Ne tamen aliquis miretur, in hac loci ordinandi ratione versus quoque 42-45. a me omissos esse, de his etiam quaedam sunt dicenda. Fateor enim, me non perspicere, vbinam hi versus, quos nunc quidem loco non apto positos esse supra demonstraui, commode inserantur, quum vltimis eorum verbis: „quae restant percipe porro," non satis conuenire videantur, quae v. 81. denuo dicuntur: „Multa tamen restant etc." Sed praeter importunum locum, in oratione quoque horum versuum inueniuntur, quae suspicionem aliquam mouere possint. Verba enim *Quaecunque* fiunt, *pleraque* dissolui[39]), quum proprie notiones habeant sibi oppositas, non optime dici, quisque, puto, concedet. Sed ne vera quidem est sententia, pleraque tantum in coelo dissolui, quum Epicuri philosophia omnia omnino non in coelo solum, sed in vniuerso dissolui debere doceat, vt primordiis solutis noua semper corpora exoriantur, quare e. g. V, 322. diserte de coelo dicitur: „Totum natiuum mortali corpore constat." Sed ne quid dissimulasse videar, Wakefieldus hanc sententiam alia in-

---

[39]) Recte enim Wakefield. e Codd. edidit.: „Et, quaeqnomque in eo fiunt, fierique necesse est, Pleraque dissolui," quum priores editores contra libros MSS. vniuersos omnesque editt. veteres e suo ingenio locum sic effinxerint: „Et quaecunque in eo fiunt, fientque, necesse Esse ea dissolui."

terpretatione iuuare studuit, paullo artificiosius sic explicans hunc locum: „*pleraque*, non *omnia* (minus ambigue fortasse dixisset: non *integra*); quum semina, vel principia, quamuis omnigenos coetus experiantur, et omnimodas mutationes subeant, nullis plagis, nulla rerum vicissitudine, dissolui queant;" quam etiamsi sumere velimus, tamen, quum primo adspectu altera illa explicatio cuique in mentem veniat, haud minima remanet ambiguitas, quam Lucretius alias summopere studet euitare, vt vel sic intellecta verba illa parum Lucretiana videantur. Ceterum his versibus nihil inesse, quod non ex aliis Lucretii locis interpolator decerpere potuerit, e l. V. v. 322. cum V, 61 et 66. collato, V, 1455. I, 1013. 1098. II, 1000. aliisque permultis locis, vbi „mundi, coeli, orci templa" commemorantur, satis manifestum est. Quae quum ita sint, an suspicionem meam de omni loco, vt periculum verecunde factum, non tanquam sententiam certo et indubitate propositam probare possint, alii videant.

Atque haec quidem ad demonstrandam singulorum locorum confusionem et perturbationem protulisse satis habeo, ne ceteris argumentis tractandis locus deficiat. Et tamen ad aliam suspicionis meae causam transire non possum, priusquam de singulis etiam quibusdam versibus disputauero, qui iam ab editoribus aliisque viris doctis ob sensum et connexum spurii declarati coniecturae meae quodammodo fauere videantur. Licet enim verum sit, Lucretii editores, inprimis Lambinum, in locis spuriis indagandis nimios fuisse multosque versus, quos magna lectionis diuersitate obrutos viderent, fortasse etiam non recte intelligerent, aut cum ceteris non bene cohaerere putarent, statim nec sine iusta causa reiecisse; negari tamen nequit, plures etiam in Lucretio inueniri versus, qui, licet ab omnibus Codicibus ex-

hibiti [40]), tam intempestiue et languide obiiciantur, tam male cum ceteris nectantur, tam insolenter scripti sint, vt omnino Lucretio indigni ideoque e contextu remouendi videantur. In his quamquam plerumque admodum difficile est decernere, a quonam profecti sint, quum aliquis etiam putare possit, a serioribus grammaticis et librariis, qui alios etiam auctores interpolarunt, additos esse, id tamen non praetermittendum videtur, in omnibus libris hos versus inueniri, ideoque auctores nostris certe Codicibus antiquiores esse; quae, inprimis si oratio etiam ita comparata est, vt vulgarium interpolatorum doctrinam et acumen excedere, vel certe multam Lucretii lectionem prodere videatur, fortasse rectius ab antiquiori illo, quem sumendum puto, interpolatore seu nouo editore adspersi habeantur. Huc pertinere puto I, 335.

Quapropter locus est intactus, inane, vacansque,

Bentleio spurium declaratum et a Wakefieldo vnciuis inclusum, quum non appareat, quid sibi velit conclusio, verbo *quapropter* indicata, et constructio impedita et obscura sit. Ceterum in hoc versu prorsus superfluo et languido illud *locus intactus* sumtum videtur e III, 814. seu V, 859. clausula vero *inane vacansque* ex I, 445. quae ipsae formulae Lucretianae hic adhibitae faciunt, vt hunc versum non a vulgaribus librariis adscriptum habeam. In eundem censum venire puto hunc versum post I, 883. insertum et a Wakefieldo, licet strenue defensum, numerorum tamen serie exclusum:

Quom lapidem in lapidem terimus, manare cruorem.

Faber, Creechius, Preigerus, Hauercampus, ipse adeo Bentleius hunc versum vtpote priorum interpretamentum exsulare iusserunt, reluctante tamen

---

40) De iis enim, qui et Codicum auctoritate suspecti redduntur, infra dicetur in quarta disputationis meae particula.

Wakefieldo, qui solus eum tueri studuit; temere, vt opinor, quum, quae eius excusandi causa profert, vix probari possint. Si enim contendit, „hunc versum quasi per exegesin addi, Lucretio scilicet nonnihil stomachante atque ineptias aduersariorum irridente,“ ponit ille exegesin, quam dicit, librario quidem, vel seriori interpolatori condonandam, sed Lucretio prorsus indignam; quis enim ferat poetam dicentem: quum fruges lapide molari franguntur, mittunt sanguinem, et quum molarium alter super altero teritur, manant cruore? Quare equidem nullus dubito, quin hic versus serius adscriptus sit ab homine, cui verba: „fruges robore saxi infringuntur,“ accuratiore explicatione egere viderentur, quam, memor fortasse illius loci e Plauti Asin. I, 1, 16. „Num me illuc ducis, *vbi lapis lapidem terit,*“ ceterum verbis Lucretio admodum vsitatis (terere, cruor, manare) concipere studeret. Porro huc refero versum illum post II, 452. insertum:

Namque papaueris haustus item est facilis quod aquarum,

quem, a prioribus editoribus reiectum, Wakefieldus velut postliminio recepit, at in numerorum seriem non admisit. Nullo pacto enim adsentiri possum Anglo editori, hunc versum artificiose defendenti, quum praeter ea, quae Lambinus aliique recte iam contra disputarunt, etiam originem eius inuenisse mihi videar. Sumtus enim est e l. III. v. 187., vbi quum interpolator tanquam corporum maxime mobilium exemplum, quae leuibus et rotundis corpusculis constarent, papauer commemoratum videret, hoc etiam in nostrum locum haud dissimilem transferendum duxit. Ceterum non est, vt lectores admoneam de oratione et compositione huius versus, quae profecto Lucretio indigna iudicari debet. Addo l. VI. v. 714.

Is rigat Aegyptum medium per saepe calorem,

qui mihi, quidquid obloquatur Wakefieldus, a Bentleio recte spurius videtur declaratus. Maximam enim huic versui tautologiam inesse, quum, solo aduerbio *saepe* excepto, nihil aliud contineat, quam quod v. 712. multo elegantius dictum est, nemo non videt, in qua vereor, ne Wakefieldus temere inueniat Lucretii vbertatem, quae profecto non in languidam garrulitatem abire debet. Quod autem hoc versu additum est vocabulum *saepe*, id ipsum vt Bentleium, sic et me quam maxime offendit. Lucretius enim omnino de causa inundationis Nilo effectae loquuturus, vtrum saepe tantum an quotannis flumen super ripas effundatur, in omni loco plane non curat, quare illud *saepe*, quo priorem sententiam vniuersalem restringeret, non suo loco videtur; certe si hoc voluisset Lucretius, interdum etiam non exundare Nilum, in sequentibus, inprimis vbi alteram causam inde a v. 724. adfert, paucis certe verbis indicasset, hac ipsa in re situm esse, quod inundatio illa non quouis anno locum habeat. Quare potius hunc versum antiquitus iam additum puto ab homine, qui partim verbis „campisque redundat" accuratiori interpretatione opus esse putaret, partim doctrinam suam, quae Nilum interdum alueum non excessisse sciret, ostendere vellet [41].

---

[41]) Quum adhuc sermo fuerit de versibus, quamuis in omnibus libris legantur, tamen spuriis habendis, liceat etiam de alio versu Lucretii, qui et ipse nuper in suspicionem vocatus est, quaedam addere, eaque occasione sententiam nostram de grammatica quadam regula nondum omnino ad liquidum perducta proferre. Scilicet quum a multis disputatum sit, et nunc fere ab omnibus sumatur, substantiua secundae declinationis in *ius* et *ium* desinentia vsque ad seriora Augustei aeui tempora contractam modo genitiui formam admisisse, (qua de re conf. Bentleius ad Terent. Andr. II, 1, 20. Hensinger. et Gernhard. ad Cic. de off. II, 16. Brunck. in praef. ad Virgil. p. VI. Wolf. ad Horat. Sat. I, 1, 3. p.

III.

Veniam ad aliam causam suspicioni meae de carminis Lucretiani interpolatione et mutatione opitulantem. Nimirum quum seriores scriptores et grammatici plures commemorent Lucretii locos, quos in sex illis de natura libris, vt hodie leguntur, frustra quaesiueris, alios autem plane aliis verbis adferant, quam quibus in

11. Heindorf. ad Horat. Serm. I, 1, 105. et ad Cic. Nat. Deor. p. 141. Schellius in vers. vernac. Cic. Or. p. Arch. p. 83. Bothius ad Plaut. Asin. III, 1, 2. et Mercat. prol. 10. Idemque ad Ter. Andr. II, 1, 22. et III, 2, 38. Osannus Anal. Crit. p. 172. Schneider. Gramm. Lat. Part. II. p. 59. Weichert. de verss. Virg. et V. Flacci p. 60. Niebuhr. ad Cic. Oratt. Fragm. p. 57. et 110. Maius ad Cic. de Rep. p. 4. et in conspectu orthogr. p. 354. Jahn. ad Ouid. Metam. XV, 727. Sillig. ad Catull. XXXVI. init. alii,) nuper demum Vir doctus in Ephem. liter. Jenens. 1820. n. 76. illum Lucretii versum V, 1004:

Improba nauigii ratio tum caeca iacebat,

quem iam Bothius et Osannus ll. dd. eadem de causa coniecturis sollicitauerant, ita vt ille *nauigiis*, hic *nauigiúm* legendum suaderet, prorsus exsulare iussit. Ego tamen hac in re ei adsentiri non possum, quum mihi nondum persuasum sit, regulam illam a scriptoribus Propertio prioribus vere vbinis ita obseruatam esse, vt, si quo loco aliter scriptum appareat, is statim corrigendus vel spurius censendus sit. Si enim Censor Jenensis opinatur, aliis quibusdam locis contrariis recte a viris doctis emendatis et reiectis, hunc solum Lucretii locum superesse, in quo regula illa vere negligatur, a vero longe aberrat. Vt enim hic non commemorem alterum Lucretii locum VI, 743., in quo quia pro *Remigii* varia

nostris libris MSS. et editis exhibentur, et hoc argumentum ad coniecturam nostram comprobandam aliquid certe valere videtur. Equidem enim probe scio, grammaticorum auctoritatem in commemorandis vete-

---

lectio *Remigio* occurrit, admittatur fortasse Wakefieldi mutatio in *Remigium*, (vt scilicet sumamus *remigiom* per compendium scriptum fuisse *remigio*, quamquam illud *o* e sequenti voce *oblitae* adtractum esse mihi certe probabilius videtur) alii etiam inueniuntur loci fidei non dubiae, sed librorum MSS. auctoritate tuti, vbi mutatio non facilis videtur. Pertinent huc Ennii locus ab Apuleio Apol. I. p. 43. Bip. seruatus (p. 157. Hessel.):

Brundusii sargus bonus est: hunc, magnus erit si,
Sume etc.

Virgil. Aen. III, 385.

Et salis Ausonii lustrandum nauibus aequor.

Manil. II, 740.

Maior in effectu, minor est: quod partibus ipsis
Dodecatemorii quid sit, quod dicitur esse
Dodecatemorium etc.

et alii fortasse mihi nondum cogniti, qui regulae illi non minus, quam hic ipse Lucretii locus aduersantur. Altera autem causa, qua motus hos locos coniecturis non sollicitandos esse puto, ipse est seriorum scriptorum ex aeno Augusteo vsus. Vix enim intelligitur, quomodo hi scriptores, Propertius inprimis, quem minime nouas formas induxisse, imo ad pristinas potius et antiquatas rediisse constat, in illam licentiam incidissent, si ne vnus quidem veterum auctorum illa soluta genitiui forma vti sibi indulsisset. Quare mihi consultius videtur sumere, hanc solutam genitiui formam, fortasse ob ipsam illam causam, quam Nigidius Figulus apud Gellium XIII, 25. quodammodo innuit, scilicet vt secundus et quintus casus melius discernantur, Ennii iam temporibus in vitae communis vsum introductum esse, ita vt scriptores quidem, cultioris orationis studiosi, veterem formam plerumque retinerent, interdum tamen, inprimis prosa oratione vsi, etiam ad populi consuetudinem deflecterent; serius autem, quum vsus ille magis magisque communis factus esset, scriptores quoque, singulis illis antiquiorum auctorum exemplis fretos, recentiorem genitiui formam

rum scriptorum locis minimam esse; nam vt taceam librarios in eorum scriptis similia auctorum nomina sexcenties confudisse [42]), ipsi etiam illi scriptores haud raro memoria lapsi aliorum auctorum nomina adscripserunt, multo saepius vero locos non e libris ipsis accurate inspectis, sed vt memoria eos suppeditaret,

saepius adhibuisse. Quae si statuimus, etiam de illo Lucretii loco non dubitandum esse patet. Cetera enim argumenta, quibus Censor Jenensis vsus est, vt versum expellendum esse nobis persuaderet, superfluum scilicet et languidum eum esse nimisque artificiosum pro graui Lucretii simplicitate, nisi ob illam causam versum iam spurium censuisset, vix, puto, Vir doctus attulisset, quum ex ipsa loci natura et Lucretii scribendi ratione parum praesidii habeant.

42) Inprimis Lucretii et Lucilii nomina confusa videntur. Sic in loco illo Varronis (L. L. IV, p. 7. Bip.) „Lucretius suorum XXI. librorum initium fecit hoc:

Aetheris et terrae genitabile quaerere tempus,".

iam Auson. Popma (de vsu ant. locut. L. I. p. 585. ed. Richter.) pro Lucretio Lucilii nomen reponendum esse suspicatus est, quod probat Osann. Anal. crit. p. 174. (Conf. etiam Eichstaedtii docta de hoc loco disputatio in Comment. de vita et carm. Lucr. p. LXV. s.) Pariter etiam in Festi aliquo loco, qui s. v. Oufentinae (p. 354. Gothofr.) hunc Lucretii versum adfert:

„Priuerno Oufentinae venit fluuioque oufente,"

Gothofredus iam vidit, Lucilii nomen restituendum esse. Non minus in Seruii verbis ad Aen. XII, 419. adscriptis: „Panaceam) Genus herbae. *Sciendum tamen, Lucretium Panaceam vbique salem dicere*, vnde possumus et hoc loco „salem intelligere etc." Pius iam ad Lucr. IV, 123. (fol CV.) *Lucilium* scribendum esse suspicatus est, quam coniecturam, Burmanno etiam, vt videtur, probatam, ego quoque amplector. Sic etiam quae Valer. Probus p. 1450. Putsch. e Lucretio depromsit verba: *hos vappones*, eidem Lucilio alii rectius attribuerunt. Contra vero etiam Lucilio adscribuntur, quae Lucretii sunt, vt a Nonio, qui c. 11. n. 49. haec habet: „Longinqu et

falso attulerunt: nihilo minus tamen ne hos quidem prorsus negligendos esse censui, quorum testimonium in iis certe locis, qui cogitandi et sentiendi rationi Lucretio propriae, rebus ab eo tractatis et dicendi generi, quo eas exprimere solet, optime conueniunt, etsi suspicionem non mouere, tamen alias ob causas iam susceptam magis confirmare possint.

Et primum quidem, quod attinet locos a Grammaticis Lucretio adscriptos, qui in nostris libris prorsus desiderantur, quum Ill. Eichstaedtii perdocta disputatione [45]) satis superque demonstratum esse videatur, Lucretium non plures, quam sex illos libros de natura rerum ad nostram aetatem transmissos conscripsisse, ex ipsis his libris illos excidisse apparet. Sunt vero, quantum equidem inuenire potui, in eorum numero hi, quorum duo priores Eichstaedtius iam attulit:

Seruius ad Virg. Geo. II, 42. ss.

Non ego cuncta meis amplecti versibus opto,
Non, mihi si linguae centum sint, oraque centum,
Ferrea vox; etc.

„Lucretii, inquit, versus: *sed ille aenea vox dicit, non ferrea;*" idemque (quod Eichstaedtium fugit,) repetit ad Aen. VI, 625., vbi verbis illis iteratis: „Non mihi — Ferrea vox" addit: „Lucretii versus, sub„latus de Homero ἐν τῷ β. Ἰλιάδος [v. 488-490.]: „Πληθὺν δ' οὐκ — — — ἦτορ ἐνείη. *Sed ille aerea*

„longiter pro longe. — — Lucil. lib. III. Non, vt opinor, id „a lecto iam longiter rati," mendose exhibens hunc versum Lucretii: „Non, vt opinor, id ab leto iam longiter errat," l. III. v. 676. obuium. Sic in nonnullis Seruii editionibus ad Aen. VII, 804. etiam Lucretii et Lucani nomina permutata vidi. (conf. infra not. 48.)

45) Vid. Comment. de Lucretii vita et carmine p. LXIV-LXXVII.

„*vox dicit*;" quamobrem in hoc loco bis repetito, si confusionem vocularum *aeneus* et *aereus* exceperis, quae librariis facile imputari potest, vix errorem aliquem latere putem [44]).

Idem Seruius ad Virg. Aen. VI, 595. ss. haec adscripsit: „Sane de his omnibus rebus mire reddit ra„tionem Lucretius, et confirmat, in nostra vita esse „omnia, quae finguntur de inferis. Dicit enim, Tityon „amorem esse, hoc est, libidinem: quae secundum „physicos et medicos in iecore est, sicut risus in sple„ne, iracundia in felle. — — — Ipse etiam Lucre„tius dicit per eos, super quos iamiam casurus im„minet lapis, superstitiosos significari, qui inaniter „semper verentur, et de diis et coelo et locis superio„ribus male opinantur. — — Per eos autem, qui „saxum voluunt, ambitum vult et repulsam signifi„cari: quia semel repulsi petitores ambire non desi„nunt. *Per rotam autem ostendit negotiatores, „qui semper tempestatibus turbinibusque voluuntur*;" e quibus, vt Eichstaedtius p. LXXVI. rectissime monuit, apparet, in Seruii exemplo notissimum illum Lucretii locum III, 991. ss. praeter fabulas de Tityo, Sisypho et Danaidibus, in nostris Lucretii Codicibus obuias, allegoricam etiam mythi de Ixione eiusque rota continuisse explicationem, quam prorsus deperditam dolemus.

---

44) Quod autem Macrobius, qui Saturn. VI, 3. (p. 173. Bip.) hunc Virgilii versum cum Homeri verbis et Hostii interpretatione eorundem comparat, Lucretium, saepissime vt Virgilii exemplar laudatum, hic conferre neglexit, hoc et ipsum aliquantulum probare videtur suspicionem supra p. 26. propositam, Macrobium corrupto iam, partim mutilato, partim interpolato Lucretii Codice vsum fuisse, in quo, vt in nostris membranis, hic locus desideraretur.

Praeter hos autem et apud Seruium et apud ceteros Grammaticos reperi alios etiam locos Lucretio tributos, qui hodie in libris eius non apparent. Vt igitur in Seruio adferendo pergam, loco modo tractato, in quo res commemorantur a Lucretio expositae, quarum in nostris exemplaribus nullum inuenitur vestigium, similes sunt duo alii eiusdem Grammatici loci. Prior, Virg. Geo. II, 329: „Et venerem certis repe„tunt armenta diebus" adscriptus, sic se habet: „Cer„tis diebus, statutis, legitimis, a natura arcana qua„dam ratione dispositis, vt tractat Lucretius, qui di„cit, *rationem hanc aetherio calore descendere.*" Jam vero licet pluribus in Lucretii locis (v. c. V, 769. 804. etc.) solis vapori et aestiuo calori in animalia etiam procreanda maxima vis attribuatur, nunquam tamen causa inde deriuatur, cur certis tantum temporibus animalia ad coitum veniant, quare hic etiam Seruius alium quendam locum spectasse videatur, qui iam non amplius in Lucretii carmine inuenitur. In altero, ad Geo. IV, 219., haec legimus: „Vt autem „(Virgilius) hoc exemplis, i. e. rebus similibus com„probaret, Lucretium sequutus est, qui dicit, *ea, quae „per se probare non possumus, a similibus compro„banda*, ventumque docet esse corporalem, non quod „eum tenere vel cernere possimus, sed quod eius si„milis aquae effectus est, quam corporalem esse manife„stum est." In quibus quum aperte in mente habuerit locum I, 270-298., non intelligitur tamen, quo referantur verba: *qui dicit, ea, quae per se — comprobanda*, quorum in illo certe Lucretii loco nec vola nec vestigium reperitur. Haec tamen a sequentibus non ita seiungi posse, vt Seruium duplicem Lucretii locum spectasse arbitremur, ipsa verborum ratio et coniunctio indicare videtur. Sed etiamsi hoc sumere velimus, vbinam alter ille locus est quaerendus? vbinam Lucretius tale quid dixit? Equidem certe in eo

inuestigando operam studiumque perdidi. Quare non improbabile videtur, venti cum aqua comparationi in Seruii exemplo paucos versus praemissos fuisse, sententiam illam, de argumento e comparatione similium continentes, qui in nostris Codicibus, ex aliis fontibus petitis, omissi sint.

At non sententias tantum Lucretianas in vniuersum Seruius commemorat, sed singula etiam et distincta auctoris nostri verba, quae fata nobis inuiderunt. Ad Geo. I, 139. enim ita scribit: „Viscus vero, i. e. „caro, visceris facit, vt pecus pecoris, et si de carne „loquebatur, viscere debuit dicere. Lucret. *Permix-„tus viscere sanguis;* item ipse: *Viscus gigni san-„guenque creari.*" Jam licet posterior locus legatur I, 837., prior in omni Lucretii carmine frustra quaeritur, cuius tamen plures sunt loci, a quibus verba illa, prorsus Lucretiana, quod sensum attinet, non aliena forent.

Nescio, annon huc etiam trahendus sit alius eiusdem Grammatici locus, ab aliis iam adductus, cuius verba ad Aen. VII, 804. sic legimus: „Ennius et „Lucretius *florens* dicunt omne, quod nitidum est. „Hoc est sequutus Virgilius; aliter acyrologia est. „Lucretius: *Florebat nauibus pontus.*" Non enim vtique et simpliciter cum Wakefieldo et Eichstaedtio consentire possum, qui verba illa retulerunt ad Lucr. V, 1441., vbi tamen ex omnium, quotquot notae sunt, membranarum et editionum veterum auctoritate legitur:

Tum mare veliuolis florebat propter odores [45]),

---

[45]) Nescio, vnde Ill. Eichstaedt. habeat particulam *At*, qua hunc versum incipit in Comment. praemissa p. LXXXIII.; in nullo enim libro inuenitur, nec ad sensum necessaria est. Fortasse per errorem tantum irrepsit, quum in contextu ipso, vt in omnibus libris, *Tum* expressum sit.

quam lectionem, a Wakefieldo rectissime restitutam, priores editores, Seruii illum locum respicientes, temere sic mutauerant:

Tum mare veliuolum florebat nauibus pandis [46]),

et sic mutatum in Seruium adeo suum recipere Masuicium non puduit, quod huius viri peccatum recentioribus Lucretii editoribus fraudem fecisse videtur, vt arbitrarentur, Seruium vere omnem illum versum attulisse:

Tum mare veliuolum; florebat nauibus pontus [47]).

Sed in omnibus antiquioribus Seruii editionibus, quas mihi quidem videre contigit, vltima tantum verba apparent: „florebat nauibus pontus;" [48]) quare certe

---

46) Et primum quidem haec lectio apparet in edit. Juntina, quam tamen multas continere virorum doctorum coniecturas supra iam not. 21. satis demonstrauimus. Inter varias tamen lectiones calci adiectas veram etiam omnium librorum scripturam indicauit. In vllo autem Codice vulgatam inueniri credat, qui ad credenda omnia procliuis est. Nam Gifanii „libri quidam" haud dubie sunt Juntina et seriores nonnullae editiones. Quod autem Creechius dicit, „Lambinum in quibusdam Codd. *nauibus pandis* inuenisse," falsum est, quum ille de huius scripturae auctoritate plane nihil prodat, imo alteram et veram lectionem in nonnullis (omnibus dicere debuisset) libris MSS. exhiberi dicat.

47) Sic nuper demum legendum suasit Orellii censor Jenensis saepius iam commemoratus, qui, praestantissimorum Codd. lectiones cum Seruii loco sic optime conciliari ratus, a vero paullulum aberrasse videtur. Ceterum quum offendat in verbo *florere* sine ablatiuo quodam posito, quidni omnium, vt videtur, quotquot adhuc collati sunt, Codicum agnoscit lectionem *veliuolis?* Orellii enim obseruatio, Eclog. p. 75. proposita, simplex praedicatum *veliuolis*, non adiuncto, vt Latini soleant, substantiuo (v. c. nauibus, ratibus) vix probabile esse, non omnino vera videtur.

48) Nonnullae Virgilii cum Seruio editiones (v. c. quae ab Egnatio curata prodiit Basil. 1544.) ne Lucretio quidem, sed Lucano haec verba vindicant, in quo tamen non magis occurrunt. (Conf. supra not. 42.)

[illegible] Donat. zu Ter. Andr. I, 2, 4 ([illegible] 178.) [illegible] ad Lucr. p. 455

aliquanto cupidius videatur, si partim propter vnum verbum *florebat*, partim propter loci quandam cum illo altero similitudinem vtramque versus partem coniungentes Lucretio vel eius correctori versum obtrudere velimus, quem nec Grammaticus, nec Codices agnoscunt, et in quo poetam ab inani tautologia vix liberari posse nemo non videt. Mihi certe probabilius videtur, et haec verba, a Seruio adducta, olim versum aliquem finiisse, qui, vt alii plures, seriori carminis recensione deletus interierit.

Praeter Seruium vero alii etiam Grammatici deperditos Cari nostri locos attulerunt. Sic Nonius Marcellus s. v. torpor (c. 3. n. 250.) haec laudat Lucretii verba: *Tantus conduxerat omnia torpor*, quae eius libri, vt nunc leguntur, pariter non agnoscunt, nec, quo facile inseri possint, locum suppeditant. Verum quum, nisi substantiuum *torpor*, temporis tamen verbum *torpere* apud nostrum bis occurrat (III, 306. 994.) vocabulum *conducere* autem ei satis vsitatum sit, (conf. I, 398. 651. III, 535. IV, 433. VI, 967.) locum illum a Lucretii dicendi ratione non abhorrere, quisque facile intelligit.

Porro apud Sosip. Charisium l. I. p. 43. Putsch. legimus: „Camara dicuntur (haud dubie: dicitur), „vt Verrius Flaccus affirmat, non camera per E. Sed „Lucretius, *cameraeque caminis Ex cratibus* dicendo, „etiam cameram dici posse ostendit,“ quae verba, nunc in Lucretio non obuia, si metro succurrentes scribimus *Ex crateribus*, in descriptione igniuomi montis Aetnae, VI, 639. ss., in qua multa similia (conf. v. 680. ss.) et v. 701. ipsum verbum *crateres* vsurpatum legimus, satis aptum aliquando locum obtinuisse, fortasse non temere arbitremur.

Denique Isidorus Orig. XX, 14. (p. 1324. Gothofr.) haec refert: „Vomer est dictus, quod vi hu„mum eruat, seu ab euomendo terram. De quo Lu-

„cretius: *Vncus aratri Ferreus occulto decrescit „vomer in aruis Sumitque per detrimenta nitorem;*" cuius loci verba priora (quae ex parte etiam Seruius ad Virg. Geo. I, 46. sic adfert: *Occulto decrescit vomer in aruo*) leguntur I, 314. 315., quae autem, metro corrupto, adduntur: *Sumitque per detrimenta nitorem*, in nostris Codicibus et editionibus desiderantur. Nulla autem causa apparet, cur ab Isidoro adiecta fuerint, nisi in eius exemplo scripta fuissent, quod eo facilius credi potest, quum a loci sensu non aliena videantur, verbum autem *nitoris* Lucretio satis vsitatum sit.

Qui loci quum non obscure prodant, magnas olim in Lucretii carmine turbas excitatas esse versusque ex eo haud paucos prorsus intercidisse, non temerarium videtur, si ceteris argumentis comparatis, huius quoque rei causam e duplici operis Lucretiani recensione petimus. Atque hanc coniecturam non minus istis locis adiuuari contenderim, qui a grammaticis ita adferuntur, vt, licet in nostris libris non prorsus desiderentur, tamen longe aliis verbis expressi appareant. In quibus vt multos omittam, qui negligentiae grammaticorum e memoria versus laudantium tribui possint, alii tamen restant, in quo similis illorum error vix videtur admitti posse.

Et primum quidem huc refero Seruii illum locum, quem, a Gifanio adductum, sibi tamen nondum repertum esse dicit Eichstaedtius l. l. p. LXXVI. Legitur autem ad Aen. IV, 654. et sic se habet: „Bene „imaginem dixit: valde enim quaeritur apud philoso„phos, quod illud sit, quod inferos petat. Nam tri„bus constamus: anima, quae superna est et originem „suam petit: corpore, quod in terram deficit, *vmbra*, „quam Lucretius sic diffiniit (definiit): *supra spolia„tus luminis aër.* Ergo vmbra si ex corpore crea„tur, sine dubio perit cum eo etc.," quo loco accura-

tius indicato totoque adposito insuper etiam confirmasse mihi videor sagacissimam Eichstaedtii coniecturam, qui p. LXXXII. suspicatus est, locum illic Seruio laudatum non alium esse, quam IV, 369., vbi, immutatione quadam facta, hodie legimus: *lumine cassus Aer*, quod, qui vtrumque Lucretii et Seruii locum comparauerit, neutiquam infitias ibit. Jam vero quum haec verba, vt a Seruio adferuntur, vix a memoria tantum falso suppeditata esse videantur, Seruii et Codicum nostorum lectio vtique e duplici fonte manasse non incepte colligatur. Burmanni enim sententiae, quem ad hunc ipsum Seruii locum arbitratum video, hunc grammaticum v. 369. (lumine cassus aer) et v. 379. (spoliatur lumine terra) confudisse, propterea non adstipulor, quia sic etiam restat vox *supra*, quae vnde orta sit non intelligitur. Quare quod alii loci aperte demonstrant, hoc etiam in nostro statuendum esse iudico.

Non minus huc pertinere puto Nonium, qui s. v. *feruit* (c. 10. n. 1.) e libro II. Lucretii hunc attulit versum:

Feruere quum videas classem lateque vagari,

de quo viri docti in sententias prorsus diuersas abierunt. Quum enim in libro illo admodum similis inueniatur locus, qui v. 40 et 41. sic legitur:

Si non forte tuas legiones per loca campi
Feruere quum videas, belli simulacra cientes,

alii [49]) vtrumque versum a Lucretio positum, alterum vero, a Nonio seruatum, propter idem cum priori initium librariorum errore omissum habuerunt, ita vt in omnes editiones inde a Lambino in lucem emissas

---

49) Lambinus maxime, qui primus hunc versum e Nonio recepit, et Wakefieldus, qui strenue eum defendit. Crechius et Hauercampus tacite eum in contextu seruarunt.

vterque versus vere reciperetur; alii [60]) vero Nonium e nostris Codicibus corrigendum eiusque auctoritatem plane nihili faciendam existimarunt. Neutra ratio habet, quo satis probetur. Quidquid enim Lambinus de iucunda huius ἐπαναλήψεως venustate fabuletur, mihi certe non solum admodum ingrata et a Lucretii graui simplicitate aliena, sed propterea etiam non ferenda videtur, quod nulla prorsus apparet causa, cur, si vterque versus in Lucretii Codicibus adfuisset, Nonius alterum tantum attulerit, nisi alterum illo iam tempore a librariis delicatis aut negligentibus omissum fuisse arbitremur. Nonii autem fidem eo vsque in dubium adducere, vt vulgarem Codicum lectionem sola negligentia vel memoriae errore tantopere ab eo mutatam habeamus, nimis aut iniquum aut fastuosum mihi videtur. Quare hoc etiam in loco duplicis recensionis vestigia nobis superesse arbitror, quae suspicio aliis etiam nititur argumentis. Primum enim causa mutationis non difficilis videtur intellectu. Si nimirum Lucretius voce *classis* ea significatione vsus erat, qua veteres saepius eam vsurparunt, vt pro exercitu poneretur [61]), serior aliquis

---

60) Preigerus inprimis et nuper demum Vir doctus, qui in censura Eclogarum Orellii, Ephem. lit. Jen. 1823. ch. 76., hunc Nonii versum prorsus e contextu expellendum et furca delendum censuit.

61) Classem enim (κλῆσιν) a verbo calare (καλεῖν) dictam, primum denotare multitudinem conuocatam, ideoque prius de hominum multitudine, quam de nauium copia vsurpatam esse neminem fugit. Quare Festus p. 268. Gothofr. dicit: „Classes clypeatas antiqui dixerunt, quos nunc exercitus vocamus,“ et p. 379. „Procinctam classem, i. e. paratam ad bellum militum multitudinem (vel: exercitum ad proelium instructum et paratum) Diali Flamini videre non licuit.“ Sic etiam in lege Numae scribitur: „Quoius auspicio classe procincta opeima spolia capiuntur, Joui Feretrio bouem caedito.“ (Vid. Festus s. v. Opima, coll. Plutarch. vit. Marcell. c. 8.) Ceterum hac

facile induci poterat in sententiam, hanc dictionem, vtpote suae aetati obscuram et ambiguam, mutatione aliqua egere. Deinde vero nec origo huius mutationis latet. Quum enim infra v. 323 et 324. fere iisdem verbis, quae Nonii versui in Codd. nostris substituta videmus, haec legamus:

Praeterea magnae legiones quom loca cursu
Camporum complent, belli simulacra cientes,

nemo non videt, quam facile locus noster inde mutari potuerit, vt prisca et vera Lucretii scriptura, a Nonio ex parte certe seruata, plane euanesceret. Accedit quod, qui in pluribus MSS. et editt. vett. vsque ad Juntinam omnibus versui 41. adiiciuntur duo versus sine vllo sensu et contra omnem huius loci connexum interpositi atque propterea ab ipsis librariis iam spurii habiti [52]), locum nostrum antiquitus iam miro modo vexatum et corruptum esse demonstrant.

---

significatione verbum nostrum vsurpatum legimus apud Virg. Aen. III, 602. VII, 716., vbi Seruius classes per equites explicat, (quam tamen interpretationem male transfert in alium Virg. locum Aen. II, 30., ab Isidoro etiam non recte intellectum, qui Orig. IX, 3. p. 1049. Gothofr. sic scribit: „*Classes*, dictae propter diuisionem exercitus, qui postea manipuli dicti sunt. Vnde et Virgilius: Classibus hic locus, hic acies certare solebant,“ vbi tamen rectius nauium classes intelliguntur) Gellium N. A. I, 11. et X, 15.

52) In Cod. Vindob. enim rubris, in Wakefieldi duobus MSS. maioribus literis et diuerso atramento scripti sunt. Breuem tamen titulum siue indicem sententiae hos versus fuisse e margine in textum translatum, quod Orellii Censor saepius laudatus suspicatur, qui ceterum Orellium eos vtcunque mutatos in contextum recepisse non iniuria reprehendit, vix adducor vt credam. Quemnam enim hi versus, vt apud Pium leguntur:

Subsidiis magnis Epicuri constabilitas
Ornatas armis statuas stantesque animatas

Porro Quintilianus Inst. Or. III, 1, 4. locum I, 935-957. siue IV, 11-13. sic laudat:

Ac veluti pueris absinthia tetra medentes
Cum dare conantur, prius oras pocula circum
Aspirant mellis dulci flauoque liquore,

in quo, praeter leuem diuersitatem voculae *Ac* pro *Sed* (I, 935.) et *Nam* (IV. 11.) nostrorum librorum positae, maiorem etiam reperimus differentiam, quae nec librariis, nec infideli Fabii memoriae tribui posse videtur. Pro verbo enim *aspirant* [53]) apud Quintilianum obuio Codices nostri tantum non omnes exhibent *contingunt*, ita tamen vt nonnulli certe Lambini et Gifanii Codices (quibus addi potest edit. Junt.) Quintiliani lectionum tueantur, quare, „quum aspirant vtpote difficilius critico magis placeat, contingunt vero ipsum habeat aliquem vetustatis colorem," Spaldingius iam ad Quintil. l. l. hanc diuersitatem e diuersa ipsius Lucretii editione explicandam censuit. Quam tamen duplicem editionem ab auctore ipso profectam quum plura argumenta infra commemoranda repudiare videantur, potius hanc differentiam seriori illi, quem sumo, editori vel corruptori in acceptis ferendam arbitror, ita vt *aspirant* ipsius Lu-

---

vel remotam cum huius loci sententia similitudinem habent, vt eius index vel titulus censeri possint? Eiusmodi enim titulorum, quos sane interdum textui immixtos esse scio, plane alia est facies, vt illorum, quipost I, 705. II, 1142. et VI, 606. in nonnullis Codd. inseruntur (vbi vid. Wakef.) Quare versuum illorum originem ex alio fonte, licet latente, deducendam puto.

53) Hanc elegantem et difficilem lectionem, a Spaldingio, Gesnerum in Lexico rustico s. v. Olfacere sequuto, qui hunc nostrum locum comparauit cum Varronis (R. R. II, 6, 16.) verbis; *olfacere lacte labra*, rectissime, vt puto, sic explicatam: „odore et sapore mellis imbuere," quam maxime miror Wakefieldum cum Lambino ortam habuisse ex interpretamento *aspergunt*, genuinae lectioni *contingunt* adscripto.

cretii sit scriptura, *contingunt* vero serior correctio, quae certe propter vetustum colorem non statim Lucretio ipsi necessario tribuenda est, quum ex huius ipsius loci v. 953 et 946. (seu IV, 9 et 22.) facillimo negotio deriuari potuerit, quae vnius eiusdemque vocis crebra repetitio et ipsa probabilem reddit opinionem, Lucretium vel in vno horum versuum aliud scripsisse vocabulum.

Denique huic generi accenseam locum Festi, qui s. v. *obstitum* (p. 343. Gothofr.), quod per „obliquum" interpretatur, post exempla ex Ennio et Licinio petita [64]) etiam hunc Lucretii locum adfert:

Omnia mendose fieri atque *obstita* necesse est,

qui l. IV. v. 519. legitur, ita tamen, vt in omnibus libris nostris MSS. et excusis ne vno quidem excepto *obstipa* inueniatur. Iam vero quum Festum vere *obstita* legisse ex omni loco luce clarius appareat, membranarum vero omnium mira in altera scriptura consensio vix de librariorum mutatione cogitari patiatur, hic etiam duplicis recensionis vestigium deprehendi suspicor, ita vt exquisitiorem illam vocem *obstitus* a Lucretio, Ennii studiosissimo imitatore, profectam, alteram vero vtpote vsitatiorem et faciliorem a seriori interpolatore substitutam esse arbitrer.

---

64) Quibus addit Gesner. in Thes. duos locos Apuleii de deo Socr. sub init. (p. 224. Bip.), quem in hac voce, vt in aliis multis, Lucretium imitatum esse, eo quodammodo probabile fieri videtur, quod in ipso illo loco alium etiam Lucretii versum (V, 576.) totidem verbis in suam rem conuertit.

IV.

Quod autem Grammaticorum loci hactenus tractati admodum probabile reddunt, id magis confirmant ipsis Lucretii Codicibus impressa vestigia, quae membranas illas e variis et longe diuersis fontibus manasse, et licet plerumque posteriorem eamque corruptam recensionem nobis exhibeant, interdum tamen prioris etiam editionis a Lucretio ipso profectae verba simul cum serioribus mutationibus seruasse satis luculenter meo quidem iudicio ostendunt. Tot enim et tantae in iis inueniuntur omissiones et transpositiones, quae supra a me dicta de alienis additamentis et singulari quadam sententiarum vel confusione vel laxiore connexione confirmare videantur, et tam mirae lectionis varietates, quarum origo diuinari nequeat, vt haec omnia a librariis et grammaticis vel vulgaribus illis interpolatoribus, quos fere omnes veterum scriptores experti sunt, admissa aut factitata habere paene temerarium dixerim. Quae quum exemplis stabilienda sint, e satis magna copia locorum, quos hic adferre possim, nonnullos certe, qui maximi momenti esse videantur, commemorare liceat. Et primum quidem quod versus attinet in plurimis vel nonnullis certe Codicibus omissos, non iam dico de illis locis, vbi longas versuum series, vel singulos versus ad sensum maxime necessarios nec Lucretio indignos librariorum incuria omissos videmus[65]),

[65]) Sic v. c. L. I. v. 735-789. in Codd. Gottorp. et Voss. II. prorsus desiderantur, et in eodem Voss. II. etiam I, 746-786.

sed de iis tantum, vbi versus iam ipsi per se ob sensum et orationem suspecti scriptorum etiam librorum, qui eos non agnoscunt, auctoritate prorsus damnantur et reiiciuntur, vel alios etiam sibi iunctos et arcte connexos admodum suspectos reddunt. Qua in re quamquam arduum et difficile est iudicare, vtrum versus illi ab antiquiori isto, cuius vestigia inuenisse mihi videor, interpolatore, an a serioribus Grammaticis et librariis profecti sint [56]), de nonnullis ta-

---

et II, 253-303. pariter deficiunt, L. II. v. 756-806. vero, suo loco omissi, ad finem libri ab eadem manu adscripti leguntur; neque minus IV, 124-191. in Cod. Bodl. (et edit. Veron.) desunt. Eadem negligentia I, 861. II, 164. III, 98. IV, 536. V, 1011. in omnibus fere libris desiderantur, vt taceam de multis aliis versibus, qui in nonnullis tantum Codd. omittuntur.

56) Nam ab his etiam Lucretium varie interpolatum esse, ita vt grauioribus, quas in prioribus vidimus, mutationibus antiquitus iam factis haec etiam seriorum peccata accederent, neutiquam infitior. Cur enim hunc immunem credam a sorte, cui omnes omnino veterum scriptores obnoxii erant? Nonnulla huius serioris interpolationis vestigia supra iam attigimus (vid. p. 17. s. et 63.) alia iam sequantur. Refero ergo huc inter alios versum illum, qui in omnibus nostris editt., praeter Wakefieldianam, post II, 1137. sic legitur:

Quantum opus est, et quod satis est, natura nouare,

vt eum, alteri verbo *est* copula *et* substituta, Wakfield. in tribus Mus. Brit. Codd. et Pii edit. inueniri dicit, quem tamen in Pii certe edit. memoria fefellit, siquidem haec, vt vtraque Aldina et Juntina, hunc versum ordine verborum inuerso ita scriptum exhibet:

Quod satis est et quantum opus est natura nouare.

Ceterum vtut scribatur hic versus, qui in optimis Codd. et editt. Brix. Ver. Ven. deest, vtpote spurius et e. v. 1148. ortus recte a Wakefieldo reiectus est, ita vt non esset, cur Eichstaedt., licet vncinis inclusum, denuo eum reciperet. Non minus in hunc censum venire videtur l. IV. v. 951., de quo, hercle, nimis docta est recentiorum editorum sententia. Hic enim versus, qui in Cod. Vind. et tribus Mus. Brit. MSS.

men paullo certior sententia ferri posse videtur, quare quos ab antiquiori interpolatore additos habeam,

---

omnino desideratur, in ceteris autem libris omnibus sic legitur:

Saepe tamen submittuntur, viresque resoluunt,

(a quibus Juntina in eo tantum differt, quod particulae *tamen* e coniectura substituit *etiam*,) quum antiquioribus iam editoribus suspectus fuerit, vtpote cum priori parum nexus, ab Hauercampo tamen et Wakefieldo denuo restitutus est, Vossii quadam coniectura recepta, qua eius vitium sanaretur. At haec ipsa coniectura, quam vterque laudibus extollit, mihi quidem admodum artificiosa, et ab hoc loco plane aliena videtur. Vossius enim e Festi loco, qui p. 461. Gothofr. haec habet: „*Tama* dicitur, cum labore viae sanguis in crura descendit et tumorem facit. Lucilius: Inguen ne existat, papulae, tama, ne boa noxit," nostro etiam in loco legendum putat: Saepe tamâ submittuntur etc. tamamque cubantem dici arbitratur, quod deorsum ad pedes tendat (vt supra v. 520. cubantia tecta). At quid ab hoc loco, vbi vulgares et quotidianae somni causae referuntur, magis alienum esse potest incognito illo morbi alicuius nomine, qui, vt ex ipso Lucilii loco et Festi interpretatione apparet, in tumore pedum et varicibus haeret? Hoc autem verbo Lucretium metonymice pro lassitudine pedum vsum fuisse, admodum audax certe est opinio. Quare potius hunc versum, qui a pluribus libris abest, adscriptum puto ab interpolatore quodam, qui praecedentis, non recte intellecti, sententiam participio *cubanti* non apte finitam haberet, ideoque versum quendam ad hoc participium pertinentem excidisse ratus, hanc lacunam versu a se adiecto explere studeret. Porro huc refero l. III. v. 866.

Quos de materia nostra noua proferet aetas,

qui non solum in omnibus fere libris MSS. et editt. vett. desideratur, sed etiam internam ob causam valde est suspectus. Quum enim omnis Lucretii argumentatio sic procedat: „Etiamsi anima, a corpore seiuncta, vim sentiendi retineret, hoc tamen nostra nihil interesset, quum tantum ab animae cum corpore coniunctione vita nostra pendeat; imo etiamsi post mortem particulae, e quibus compositi sumus, omnes in eundem ordinem, quem nunc obtinent, redactae fuerint, vt vita

vel haberi posse censeam, hic breuiter tractandos, quos vero a serioribus conflictos esse satis manifestum

---

nobis denuo concedatur, ne hoc quidem ad nos pertineret, quum memoria et recordatio semel interrupta sit; sicut nunc etiam non solliciti sumus de iis, qui antea fuimus, quia, licet verisimillimum sit, semina nostra ex infinito tempore in eodem ordine, in quo nunc sunt, saepius iam posita fuisse, istius tamen conditionis recordari non possumus;" facile appareret, versum illum praeter totius loci sensum et connexum interpositum esse, siquidem Lucretius, hunc ipsum multorum hominum metum de altera vita post mortem futura oppugnans, nullo modo hanc sententiam vniuersalem proferre potuit: Nec iam de illis nos adficit angor etc., quae, si vera esset, omnem hanc disputationem inanem redderet et superfluam. Quare potius probabile videtur, librarium aliquem hunc versum adscripsisse, qui, non intelligens, quid sibi velit pronomen *illis*, (scilicet antea qui fuimus) hic quaedam excidisse putaret. Non minus hoc existimo de l. V. v. 713.

Propterea fit, vti videantur dicere verum,

quem Wakefieldum prorsus silentio praetermisisse quam maxime miror. In omnibus enim libris, quos mihi consulere licuit, aut a me ipso inspectos, aut ab aliis collatos, versus ille hoc in loco non legitur, ita quidem, vt in editt. Brix. Ver. Ven. et Ald. I. plane desideretur, in Cod. Vindob. vero, editt. Bonon. Junt. et Ald. II., porro (si Hauercampum recte intelligo) etiam in Voss. II. et in omnibus Wakefieldi libris, praeter Cod. Mus. Brit. Δ. (conf. Wakef. ad v. 702.), prorsus alieno loco post v. 702. insertus legatur. Quare hunc versum, qui etiam ad sensum superfluus non solum maxime languet, sed miram et ineptam conclusionis formulam prioribus subiicit, omnino spurium et a librario quodam additum habeo.

Sed non a grammaticis solum et librariis, verum a prioribus quoque editoribus Lucretius singulis versibus locupletatus videtur. Sic l. I. v. 16., qui, in omnibus Codd. (nam Alteri silentio, ex quo in Cod. Vind. legeretur, non multum tribuo,) et editt. vett. desideratus, primum in edit. Junt. apparet, ab editoribus recte spurius est habitus; et mihi quidem, vt multa alia, quae haec editio prima exhibet, a Marullo

sit, in notam subiectam ablegandos duxi. Sic igitur nescio, annon L. I. v. 1091., qui in nullo libro MS. praeter Voss. I. et Mus. Brit. Cod. *Δ.*, nec in vlla editione ante Juntinam legitur, omnem illum locum v. 1091-1093., quem iam summus Bentleius obelis confixit, admodum suspectum reddant. Prorsus intempestiue enim hi versus inseruntur loco, in quo de medio mundi non statuendo sermo est, et ob solum verbum *pasci* v. 1089. lectum additi videntur ab homine, qui hanc sententiam, solem calore in aetheriis regionibus collecto pasci et nutriri, quae tamen ad illustrandam modo primariam sententiam

---

pso factus videtur, quem licet Janottus Lambino asseuerauerit ex antiquo Codice hunc versum restituisse, tamen si omnia, quae in edit. Juntina nouata deprehenduntur, ex illis antiquis Marulli membranis petita haberemus, profecto hic Codex plane alium, quam ceteri omnes, Lucretium exhibuisse arbitrandus esset. E simili eoque admodum recente fonte fluxerunt duo versus spurii post II, 425. in edit. Bonon. primum apparentes et per seriores editt., Junt. Ald. II. etc. propagati, qui tamen ne ab vno quidem Cod. MS. agnoscuntur; quod etiam valet de III, 614., quem in libris MSS. non obuium prima edit. Ald. I. exhibet, et de III, 835., qui ab omnibus membranis et editt. Brix. Ver. Ven. abest, in Ald. I. vero primum legitur, sed alio, quam quo nunc positum videmus, loco, post v. 831. insertus. In eundem censum veniunt alii duo versus, qui omnibus Codd. ignorati, quum in edit. Junt. primum appareant, eundem illum Marullum auctorem habere videntur, ille scilicet, qui in vulgatis editt., etiam apud Hauercampum, post IV, 400. insutus legitur, et VI, 607., a Wakefieldo etiam receptus. Non minus huc pertinent verba illa, quibus insertis e. l. V. v. 31. duo versus facti sunt. Omnes enim libri MSS. et editt. Brix. Ver. Ven. hunc versum sic legunt: „Tantopere officerent nobis Stymphala colentes?“ quae autem, vtpote glossa prorsus superflua et mythologiae contraria inseruntur verba: „vncisque timendae Arcadiae volucres,“ in Ald. priori primum leguntur, quare ne vncis quidem inclusa sunt ferenda.

adiecta est, similitudine illa terrae animalia et fruges pascentis euehere et in clariori luce ponere studeret. Puto igitur in Lucretii autographo versum 1090. statim sequutum esse v. 1094. alio, quam nunc legitur, initio praeditum, quod ab interpolatore paullo mutatum et additamento inserto adaptatum sit; quae varia huius versus ratio etiam causam continere potest, cur in Codd. Voss. II. Vindob. tribus Mus. Brit. Poor. et editt. Brix. Ver. Ven. Ald. I. et Bonon. prorsus omissus sit. Ceterum *mortalia secla* ex multis aliis Lucretii locis (vt V, 986. 1168. 1237.) *cibatus* vero certe e l. VI. v. 1125. interpolatori notum esse poterat; quae autem praeterea legimus *vesci e terra* et *terra cibatum det a terris*, haec magis auctorem, Cari nostri orationem imperite affectantem, quam ipsius Lucretii ingenium sapere videntur, ita tamen, vt vulgarium grammaticorum et librariorum scientiam aliquanto superent, quare antiquiori potius Lucretii interpolatori, qui poeta esse sibi visus sit, hunc locum tribuendum censeo.

Quod de his versibus statuimus, nescio annon in alium etiam locum cadat, qui paullo ante v. 1084 et 1085. sic legitur:

Humorem ponti, magnasque e montibus vndas,
Et quasi terreno quae corpore contineantur.

Hos enim versus interpretamentum modo continere verborum praecedentium *terrarum atque liquoris*[57] satis manifestum est; quod licet per se quidem a Lucretio ipso proficisci potuerit, hic tamen vt aliter statuam et interna et externa causa moueor. Quum

---

[57]) Sic enim legendum videtur ex Codd. Lambini, Cantabrig., vno Mus. Brit. et vtroque Vossiano; quam enim duo postremi exhibent lectionem *liquores*, a Wakefieldo vtpote elegantiorem in textum receptam, e vera scriptura per errorem admodum vulgarem ortam puto. Plurimorum vero librorum lectio *liquorum* accommodata videtur verbo praecedenti *terrarum*.

enim Lucretius aperte hic loquatur de quatuor illis primariis rerum generibus, quibus omnia contineantur, terra, aqua, aëre et igni, duo postrema vero sine omni accuratiori explicatione commemoret, per se iam verisimile est, prioribus etiam, non magis obscuris et ambiguis, interpretationem non addidisse, quod ratione etiam, qua expressa sunt, magis comprobatur. Quum enim in vniuersum hic sermo sit de terra tribus reliquis elementis adiuncta, apparet, additamentum illud: „Et quasi terreno quae corpore contineantur," non solum, vt versum 1084., prorsus superfluum, sed absonum etiam esse et a loci sensu alienum. Externa vero causa de hoc disticho dubitandi in eo sita est, quod hi versus in Codd. varie transponuntur, quum, si Hauercampi et Wakefieldi adnotationes recte intellexi [58]), in Codd. Voss. II. et Cantabr. singuli versus hoc ordine procedant: 1085. 1084. 1083., in Voss. I. vero et duobus Mus. Brit. ita se inuicem sequantur: 1084. 1083. 1085.; v. 1085. autem in Bodl. plane desideratur. Ceterum qui hos versus insuit, fortasse ante oculos habuit II, 1113. I, 284. V, 944., quos imitaretur, quae ipsa Lucretianae dictionis imitatio, coniuncta cum obseruatione, hunc locum, licet varie transpositum, tamen in omnibus fere libris MSS. inueniri, me mouit, vt hunc et ipsum inter eos referri mallem, qui ab alterius recensionis auctore antiquitus iam profecti sint, quamquam hac de re iudicium semper manebit dubium.

Prorsus idem valet de l. III. v. 359., vbi Lucretium, demonstraturum, nec in corpore solo, nec in anima modo sensum inesse, postquam de corpore quidem dixerat, hoc,

---

58) Vterque enim non satis clare de ordine versuum in Codd. disputat, et Wakefield. falsus etiam est in adferenda Pii editione, in qua versus sic se excipiunt: 1083. 1085. 1084. An edit. Veronensem recte contulerit nescio; Hauercampus certe et Gerardus de transpositione versuum in ea silent.

anima dimissa, statim omnem sensum perdere, qui ei etiam viuo proprius non fuerit, omnes libri, vno Cod. Vatic., quem Lambinus contulit, excepto, volunt haec addidisse:

Multaque praeterea perdit, quum expellitur aeuo.

Longa quidem adnotatione hunc versum tueri et cum praecedentibus conciliare studuit Wakefieldus, sed ita, vt vix mihi temperem, quin et Terentianum illud accinam: fecisti probe, incertior multo sum quam antea; et praeterea vir doctus et alioquin tam acutus non satis animaduertisse videtur, quid in hoc versu lectorem quemuis prudentem maxime offendere debeat. Vt enim nihil dicam de molesta verborum *perdit* et *aeuo* repetitione; quaenam huic versui proba et iusta inest sententia? Scilicet, in morte, quum anima abiit, corpus perdit sensum; et praeterea multa perdit, quum vita priuatur. At quaenam haec sunt et qualia? vultne auctor lectorem haec diuinare? et si diuinauerit, quomodo faciunt ad hunc locum, in quo de solo sensu, nec de vlla alia re agitur? Tum verba haec: quum (corpus) expellitur aeuo, i. e. vita, quam mirabiliter dicta sunt! quum integer quidem homo possit vita expelli, i. e. occidi, mori, sed in corpus solum haec locutio non cadat, quae, si de anima dicatur, facilius fortasse ferri possit. His igitur de causis hic quoque versus mihi spurius videbatur. Si vero de auctore quaeritur, fateor, me hunc, vt alium versum statim sequuturum, ea tantum de causa inter hos locos retulisse, fortasse antiquiori illi, de quo loquor, interpolatori tribuendos, quod, vno Lambini Codice excepto, in omnibus nostris libris reperitur ideoque antiquissimae certe originis videtur.

Alter autem versus, quem dixi, est III, 962.

Atque etiam potius si nunquam sis moriturus;

qui licet in vno tantum Codice Voss. II. plane desideretur et in altero Voss, rubrica notetur, mihi ta-

men tam ieiunam tautologiam continere et praecedentis versus grauitatem tam leuitur immutare videtur, vt, quum insuper verba *atque etiam potius* aliud quid, quam quod priori versu dictum est, exspectare iubeant et tamen quae ipsa sequuntur non aliam sententiam lectori offerant, quomodo Creechius et Wakefieldus hunc versum languidum et iusto sensu plane destitutum defendere potuerint, non perspiciam, quem potius ad explicandum versum priorem antiquitus iam adspersum habeo.

Porro quum l. IV. v. 513. in vtroque Cod. Voss. et Bodl. nec non in editt. Ver. et Ven. prorsus omittatur, in Cantabr. vero MS. alieno loco post v. 521. inseratur, versus 515. autem a Codd. Vind. Bodl. et tribus Mus. Brit. libris [69]) absit, et praeterea etiam vterque versus habeat, quod offendat, siquidem v. 513., per se satis languidi, exitus plane idem sit cum prioris versus clausula, et v. 515. duplex illud *instructa, parata* per molestam tautologiam positum admodum claudicet, nescio, annon omnis ille locus v. 512-515. in dubitationem vocandus sit. Illis enim duobus versibus eiectis reliquos non cohaerere patet, omnem autem locum omissum minime desiderari, sed, inprimis quum nulla appareat idonea ratio, qua v. 512. sententia a verbo praecedente *ausis* pendere possit, additamenti potius speciem prae se ferre, ad interpretanda verba praecedentia: „vita quoque ipsa Concidat extemplo etc.“ adiecti, quae interpolatori sine accuratiori explicatione non satis clara viderentur, hoc ei ipsum, puto, neminem latebit. Quare aut quatuor hos versus omni-

---

[69]) Hauercamp. etiam editt. Veron. et Bonon. addit; sed de Veronensi tacet Gerardus, Pius autem, licet in contextu versum non habeat, in commentario tamen eum deesse dicit et explicat.

no Lucretio abiudicandos, aut certe a seriori manu interpolatos et mutatos esse arbitror.

Non minus dubito de loco II, 490 ss., cuius v. 491 — 495. in Cod. Vind., tribus Mus. Brit. MSS. et editt. Brix. Ver. Ven. et Ald. I. plane desiderantur, quos quum Wakefieldus ob homoeoteleuton v. 490 et 495. omissos iudicat, viro doctissimo adsentiri non possum. Licet enim probe sciam, quantopere idem versuum non longe distantium vel principium vel finis librariis fraudi fuerit, vt lacunas in contextu efficerent[60], idemque etiam in Lucretio meo saepius scribis accidisse me non fugiat,[61] de hoc tamen loco aliter statuendum puto. Non enim de homoeoteleuto hic agitur, sed de eodem fere versu admodum languida et inepta ratione bis repetito, ita vt editores non satis mirari possim, qui hunc locum inoffenso pede transierint. Nullo modo enim mihi persuadeo, Lucretium vere tam insulsum fuisse, vt hunc locum ita scriberet, sicuti, ne iusto quidem sensu praeditus, in nostris editionibus legitur. Sic enim vulgo explicant: Primordio-

60) Conf. Vossius ad Catull. p. 241. Vulpius ad eundem p. 377. Burmann. ad Lucan. IX, 907. Dorville ad Charit. p. 552. Drakenb. ad Liv. IX, 11, 11., quos laudat Weichert. de verss. Virg. et V. Flacci p. 109. Porro praeter Burmann. ad Calpurn. IV, 56. Cortium ad Plin. V, 7, 2. not. 5. et V, 20, 5. not. 2. Drakenb. ad Sil. Ital. XV, 703. et XVI, 568. Duker. ad Flor. I, 7, 7. Maffeum in Complexionibus Cassiodori p. 253., quos viri illi docti attulerunt, hac de re disputarunt Schrader. in Observv. I, 1. p. 8. Valckenar. ad Eurip. Phoen. v. 360. p. 239. Koenius et Schaefer. ad Gregor. Cor. p. 181. s. et saepius (vid. Ind. s. v. Homoeotel.) Bastius in Epist. crit. (v. Ind. s. v. Ὁμοιοτέλευτα) alii.

61) Praeter hunc locum conf. Wakefield. ad II, 595. III, 266. IV, 253. 497. 744. 964. V, 503. 1178. 1397. VI, 122. 206 370. 824. 872. 1034. etc.

rum non magna varietas in figuris esse potest, quum admodum parua sint corpora; sumas enim primordia e minimis aliquibus, tribus v. c. partibus constare, quum has vario ordine, modo imas, modo superas, nunc dextras, nunc sinistras disposueris, tum omnino omnes expertus fueris figuras, quibus e vario partium illarum loco primordii corpusculum compingi possit; deinde si fortasse plures figuras inducere velis, tum addas necesse est alias partes et similiter si alias praeterea figuras velis, aliae partes denuo addendae erunt. Sed vt non vrgeam languidam hanc et verbosiorem esse sententiam, ne verbis quidem ea inesse videtur. Illud enim, quod interpretes volunt: si plures pluresque figuras inducere velis, non dicitur a Lucretio, certe verbis *quod superest* et *etiam* admodum obscure et ambigue expressum esset. Mihi potius Lucretius hoc innuere videtur: Si v. c. primordium, quod ipsum est admodum pusillum, e tribus minoribus etiam corpusculis constare sumas, harumque particularum ordinem et locum omni modo variaueris, eadem fere semper maneat necesse est figura, quare si varias etiam figuras velis inducere, plures particulae addendae erunt, ita vt variatio figurarum maiori tantum augmine partium effici possit. Quae si vera est loci explicatio, nec vulgarem rationem ferri posse apparet; et librarii, non homoeoteleuto decepti, sed potius in ipsa sententia offendentes, consulto hos versus omisisse putandi sunt. Suspicor igitur, alterutrum tantum versuum 490 et 493. genuinum esse, alterum vero correctoris manum prodere, qui fortasse offenderit in formula *quod superest*, quae tamen Lucretio aliis etiam in locis pro simplici *etiam, praeterea, ceterum* vsurpatur, (v. c. II, 39. 546. III, 351. IV, 772. etc.) atque sic factum esse, vt in nonnullos Codices vterque versus reciperetur, qui in nostris libris aut propagaretur cum ceteris pro-

pterea paullulum mutatis, aut omnino tres illos versus omittendi ansam daret.

Codices enim Lucretii pluribus in locis vtriusque recensionis lectiones vel vestigia certe simul seruare, quod supra iam indicauimus, nunc clarioribus etiam exemplis demonstrare studebimus. Scilicet non solum plane diuersae et contrariae sibi inuicem lectiones in nonnullis libris deprehenduntur, quae diuersum etiam sensum efficiant, sed interdum bini adeo integri versus se excipiunt, nunc quidem vario modo scripti et compositi, ita tamen, vt ab initio vnum solum adfuisse satis manifestum sit; quamobrem prorsus incredibile est, omnes has varietates a scribis tantum vel grammaticis profectas esse. Itaque hanc etiam rem suspicionem meam de antiquiori operis Lucretiani mutatione comprobare censeo, ita scilicet, vt sumamus, iam ante illa tempora, ad quae nostrae membranae adscendunt, Codices nonnullos, e quibus plerique nostrorum fluxerint, ex vtriusque recensionis comparatione suppletos, mutatos et corruptos esse. Sed exempla ipsa sunt inspicienda.

Sic igitur puto, in loco I, 868 ss. vtriusque recensionis vestigia quem lateant, vix aliquem fore. Quum enim huic loco, vt in omnibus libris v. 868 — 873. legitur, satis bene cohaerere et integram sententiam continere viso, in Codd. Voss. I. II. Gotorp. Vindob. Cantabr. tribus Mus. Brit. et editt. Brix. Ver. Ven. Ald. I. praeter sensum et connexum hi duo versus addantur:

Praeterea tellus quae corpora cunque alit, auget,
Ex alienigenis, quae lignis exoriuntur,

hos ipsius Lucretii versus agnosco, per interpolatoris mutationes sede sua depulsos. Quis enim non videt, priorem horum versuum, alia tantum forma indutum, esse versum 868.

Praeterea quaequomque e terra corpora crescunt?

Facile autem hic versus, qui praeterea, quum omni caesura destitutus sit, non inter optimos referri potest, veris Lucretii verbis substitui poterat ab homine, qui, etiamsi non offenderit in tmesi, Lucretio satis vsitata [62]), duplex tamen verbum nulla copula iunctum aegrius ferret [63]) omninoque non satis clare expressum putaret, quid sibi Lucretius vellet. Alterum vero quod attinet versum, hunc etiam a Lucretio profectum censeo. Scilicet quum v. 871. legamus: „Transfer idem, *totidem* verbis vtare licebit," puto eum, vt antea de terra dixerat: „Terram constare necesse est Ex alienigenis, quae terris exoriuntur" sic hic etiam de lignis dixisse: „Ligna constare necesse est Ex alienigenis, quae lignis exoriuntur," [64]) quae tantum ab emendatore, quem male habebant versus ex asse sibi respondentes, ita mutata sint, vt duobus Lucretii versibus in vnum contractis ille exoriretur, qui in omnibus libris sic legitur:

Ex alienigenis consistant ligna necesse est.

---

62) Conf. v. c. I, 652. 882. II, 301. 394. III, 263. 549. 1088. IV, 566. 830. 885. 946. 1142. 1243. V. 288. 290. 300. 1131. 1267. VI, 18. 342. 388. 389. 393. 455. 831. 867. 876. 959. et 960. 1002. 1015 et 1016. 1023. 1262. etc.

63) Quod tamen minime deberet, quum et hoc non prorsus abhorreat a scribendi ratione Lucretio propria (conf. II, 669. 670. V, 926.) Ceterum haec ipsa verba *alere* et *augere* saepius apud Lucretium coniunguntur; vid. I, 230. V, 221. 323. VI, 946. et supra in hoc ipso, de quo agitur, loco v. 859.

64) Eadem causa motus Wakefieldus, licet priorem versum *Praeterea tellus* etc. adulterinum censeat, alterum tamen recepit, vt in eius editione sic legatur:

Ex alienigenis consistant ligna, necesse est;
Ex alienigenis, quae lignis exoriuntur,

quae tamen ratio, inprimis ob alterum illum versum, in omnibus libris interpositum, minus probabilis videtur.

Quare hos duos versus ex antiquo aliquo Codice, ipsius Lucretii editionem complectente, prius fortasse margini recentiorum membranarum, quae iam mutatum textum continerent, adscriptos, tum vero in aliis Codicibus ipsi loco extra ordinem coniunctos puto.

Alius locus, in quo idem versus, prout ab ipso Lucretio et ab eius correctore profectus est, bis legitur, l. V. v. 1325 — 1327. in omnibus libris MSS. et editt. vett. sic exhibetur:

Et validis socios caedebant dentibus aprei,
Tela infracta suo tinguentes sanguine saeuei,
In se fracta suo tinguentes sanguine tela.

Editores aut vtrumque aut alterutrum versum spurium habuerunt, neutrum tamen accuratius explicantes. Mihi igitur prior versus genuinus et sic intelligendus videtur: Apri, tela corporibus suis infixa et fracta secum trahentes et sanguine suo imbuentes, propterea ad furorem et saeuitiam concitati ipsos suos socios, i. e. milites, a quibus ipsi in certamen adducti erant, dentibus inuaserunt; quem sensum qui serius carmen Lucretii mutauit, sua, si diis placet, emendatione clariorem reddere studuit, omittens etiam epitheton *saeui*, vt modo vidimus, minime superfluum. Quae versus ratio quam obscura et ambigua sit, interpretatione sua ostendit Meineckius, qui hunc versum genuinum, illum vero eius glossema habens omnem locum sic reddidit:

Minder nicht fielen die Eber mit ihren mächtigen Hauern
Auf einander selbst, zerbrachen die Hauer, und färbten
Die zerbrochene Wehr mit ihrem eigenen Blute.

Non magis vero, quam huic vernaculo interpreti, adsentiri possum Viro docto, qui nuper in Ephem. liter. Halens. 1823. ch. 239 et 240. Knebelii

longe elegantiorem et praestantiorem versionem iudicans, hoc loco per epanalepsin vtrumque versum defendere studuit, quem, mutatione etiam verbi *tinguentes* v. 1326, in genitiuum *tinguentis* adhibita, sic explicat: „Apri *venatores* (de quibus plane non sermo est) caedebant, qui *suo sanguine* fracta *venabula* cruentabant, dum apri *eadem tela* confracta suo etiam sanguine conspergebant.“ At quam artificiosa et tamen non apta sit haec locum expediendi ratio, nemo non videt, quum nihil aliud expressurus Lucretius vix vsus fuisset illa eorundem verborum repetitione, qua sententiam per se iam languidam languidiorem etiam redderet [66].

Praeter hos vero locos, in quibus iidem Codices vtriusque recensionis vestigia simul seruarunt, alii etiam haud pauci inueniuntur versus, vbi varii Codices prorsus diuersas lectiones exhibent, quae tamen vix ac ne vix quidem a librariis profectae esse possunt. Hoc enim tum inprimis statuendum puto, quum in vno eodemque loco duae adsunt lectiones prorsus discrepantes, quarum tamen vtraque Codicum auctoritate nixa iustum praebet sensum, ita vt plane non intelligatur, cur altera alteri à librariis substituta fuerit; vel quum lectiones minime corruptas et vitiatas cum aliis permutatas videmus, quae non singularum vocum sanandarum causa, sed propterea inductae sunt, vt sententiam ipsam emendarent, ideoque sensus quoque varietatem inferunt; denique quum omnino locos correctos et mutatos de-

---

66) Generosiss. Knebelius ipse, Wakefieldi editionem sequutus, hunc locum sic reddidit:

Minder nicht fielen die Eber mit mächtigen Hauern die eignen
Streitenden an, und färbten mit Blut im Grimme die Waffen,
Mit dem eigenen Blut die an ihnen zersplitterten Waffen.

prehendimus ob causas, quae grammaticos et librarios, vt vulgo erant, in aliis scriptoribus minime ad corrigendum incitarunt, nec ita comparatae sunt, vt eos facile offendere potuerint. Ceterum fateor, hac etiam in re iudicium fallere posse, nec de omnibus, quos hic tractaui, locis certam et indubitatam sententiam proferre me audere; tamen suspicionem meam, aliis argumentis, vt puto, iam firmatam, illis etiam locis, qui ex ordine librorum nunc sequantur, fortasse magis commendari arbitratus sum. Primum igitur huc refero l. I. v. 488., quem quatuor Lambini Codd., vterque liber Voss., (porro, si Wakefieldi silentio aliquid tribuimus, Cantabr. et Poor. MSS.) et edit. Iunt., vt seriores editiones fere omnes, sic exhibent:

Etsi difficile esse videtur credere quidquam,

tres vero Codd. Mus. Brit., ed. Ald. I. et Benon. ita scriptum habent:

Etsi difficile esse videtur fors ita quidquam,

(a quibus Cod. Vind. Bodl. atque aditt. Brix. Ver. Ven. et Ald. II. in eo tantum recedunt, quod pro *fors ita* praebent *forsitan*); duo denique Wakefieldi Codd. in margine talem versum offerunt:

Forsitan et quicquam etsi difficile esse videtur;

quae omnia satis luculenter demonstrant, antiquitus iam duas easque prorsus diuersas huius versus fuisse scripturas, quarum tamen neutra a librariis, quales vulgo erant, proficisci potuit. Quis enim librarius planam illam et facilem lectionem *credere* in alteram mutauisset? at vero si *fors ita* vera et antiqua scriptura fuit, librarii, qui eam non intelligerent, corrupissent potius haec verba, quam plane diuersum vocabulum iis substituissent, quod tamen non minima pars Codicum miro consensu exhibet. Quare non temerarium videbitur, si illud *fors ita*, veram Lucretii scripturam, non a librariis, sed iam

ab antiquiore illo interpolatore in vulgatam lectionem *credere* mutatum censeo; illam autem sic explico: etsi difficile videtur (intellectu), in rebus (creatis) quidquam reperiri posse, (quod) fors (fortuito, solo casu) ita solido (tam solido) corpore praeditum (sit) etc.; quae loci ratio et verborum collocatio, licet paullo difficilior, nullo modo tamen a Lucretii scribendi genere aliena videtur, ita tamen comparata, vt ei, qui haec carmina antiquitus denuo pertractauerit, facile mutationem aliquam suadere posset.

Alius locus, qui mihi huc quadrare videtur, legitur II, 1059., vbi Wakefieldus e duobus Codd. Voss. dedit *frustraque coacta*, cui tamen lectioni contraria est, quam Pius in antiquis Codd. inuenit atque editt. Iunt. et Ald. II. exhibent: *iactataque frustra*. Ceteri libri omnes vtramque lectionem, metro etiam violato, in vnam coniungere voluisse videntur, quum plerique praebeant: *frustraque iacta*, alii vero (vt etiam editt. Brix. et Ald. I., ab editoribus nondum collatae) *frustra quoque iacta*. Neutra illarum ita comparata est, vt librariis ansam dare potuerit alteram alteri substituendi, qui omnium minime in loco satis claro et expedito verborum transpositionem sibi indulsissent. Quare diuersitatis originem ex alio fonte deducendam puto, dum scilicet alteram scripturam a Lucretio ipso, alteram ab eo, qui serius eius carmina mutauit, profectam habeo. Quum vero quaeritur, vtra ipsi Lucretio accepta ferenda sit, equidem hoc de illa: *iactataque frustra* contenderim; hoc enim sumto videor mihi intelligere, cur interpolator, poetam emendaturus, his sua substituerit. Si enim offendit in collocatione verborum: „temere, incassum iactataque frustra," facilis et in promtu erat mutatio, quum in alio Lucretii loco, l. V. 1000., haec tria verba *temere*, *incassum*, *frustra* eodem

ordine proxime se excipiant[66]), quae tamen non necessario sequitur propterea nostro etiam in loco plane eodem modo posita fuisse. At vero, qui hunc

---

66) In transcursu hunc ipsum locum et defendere et emendare liceat. Primum enim Hauercampum et Wakefieldum plurimorum Codd. scripturam *incassum frustra* recte retinuisse, loci supra tractati comparatio satis clare demonstrare videtur, ita vt non adsentiri possim Eichstaedtio et nupero Orellii censori in Ephem. liter. Ienens., quorum ille alteram scripturam, in Pii Codd. et edit. Iunt. apparentem, *incursu fluctus* in textum reuocauit, hic vero non hanc solum lectionem, verum etiam particulam *sed*, loco voculae *nec* in vulgatis editt., sed nullo in libro MS., vt videtur, obuiam, defendit. Licet enim verum sit, bonum exinde prodire sensum, plurimorum tamen et optimorum Codicum lectio potior esse debet, quum et ipsa, difficilior quidem, sed vel propterea praeferenda, iustum sensum fundat. Non autem prorsus cum Wakefieldo consentio, qui, huic etiam versum permultis nec satis aptis interpungendi signis onerans, verba sic coniungit: Nec mare saeuibat (in naues scilicet, quod e prioribus supplet), temere, incassum, frustra coortum; quae ratio paullo impeditior videtur. Mihi potius copula *nec*, vt saepissime, non tantum ad verbum *saeuibat*, sed ad omnem sententiam pertinere, omnibus eius verbis communis esse videtur, quasi Lucretius dixisset: Nec saepe temere mare cooriebatur et saeuiebat. Quod autem sequentem versum attinet, non acquiescere possum in vulgari lectione: *leuiterque minas ponebat inanes*, qua omnes editores contenti erant. Si enim verbum *ponebat*, quod, si Hauercampi silentio fides est habenda, in vtroque libro Voss. et Cod. Bodl. conspicitur, verum fuisset, plane non intelligitur, quomodo inde exortae sint mirae illae lectionis varietates, quas ceteri libri scripti et excusi exhibent. Et mihi quidem, quum Cod. Cantabr., vnus Mus. Brit Δ. et Poorii MS. praebeant *poscebat*, edit. Brix. vero non multum diuerse *possebat*, e coniectura restituendum videtur: *pascebat*, vt „minas pascere" dictum sit pro „minas alere," quemadmodum alii etiam scriptores furorem, iram pascere vel alere dicunt. (Conf. Claudian. 39.

versum coerexit, non cogitauit, inducta hac mutatione vocis *iactata* in *coacta* ipsam sententiam in alienum sensum detortam esse. Quum enim verborum *coacta* et *coniecta* fere eadem sit in hoc loco significatio, quomodo Lucretius dicere potest: Postquam semina rerum vario modo temere, frustra coacta sunt, tandem ita coniiciuntur, vt res seu corpora exoriantur? quae verba aperte aduersarentur aliis locis, in quibus Lucretius ipso illo verbo cogendi vtitur de ea actione, qua corpora e primordiis coniunctis oriantur (v. c. II, 934. Non fieri partum, nisi concilio ante coacto), ita vt atomi antea quidem temere per inane vagari vel iactari, nullo modo autem frustra et sine effectu cogi possint. Quare mihi certe altera lectio ***iactataque*** huic loco multo magis conuenire videtur, inprimis quum hoc verbum de motu atomorum Lucretio satis vsitatum sit. (Conf. II, 88. 121. 548.)

Porro in libro V. plures inueniuntur loci, quorum diuersae lectiones vix alia ratione, quam duplici carminis nostri recensione sumta, explicari possunt. Refero huc inter alios v. 774. vbi, quum in plerisque libris *soleant* reperiatur, in Cod. Mus. Brit. *Δ. possint*, in Poorii Cod. et edit. principe Brix. *possent*, denique in Cod. Mus. Brit. *Σ. posset* expressum legitur, in editt. vero Veron. et Veneta vox plane deest, dubitantibus, ut videtur, editori-

---

22. Sil. Ital. XII, 721. Cic. p. Sext. c. 58. etc. Omnis igitur loci sensus hic esset: Nondum mare turbidum naues in saxis scopulisque confregit et elisit, neque omnino saepe coortum saeuiit temere et sine effectu, et, si fortasse aliquando commotum et agitatum erat, leuiter tantum minas alebat, statim ad priorem quietem et tranquillitatem rediens, quippe quod, nauigatione nondum inuenta, nihil adesset, in quod furorem suum effunderet.

bus, quamnam diuersarum harum lectionum eligerent. At hic etiam locus ita comparatus est, vt varietas scripturae vix a librariis inducta esse possit, qui, siue *soleant* siue *possint* vel *possent* in contextu inuenissent, nihil profecto mutauissent. Quae me mouent, vt putem, Lucretium, qui in prioribus etiam versibus constanter tempore praeterito vsus sit, hic etiam *possent* scripsisse, quod a seriori eius editore, qui eundem vocem ter recurrentem (v. 771. posset, v. 773. possemus) minus probaret, in *soleant* mutatum sit, a plerisque Codd. propagatum.

Paullo inferius v. 789. rursus incidimus in lectiones prorsus diuersas. Codices praeter duos omnes cunctaeque editiones veteres exhibent: *mortalia secla*, in vno tamen Poorii Codice apparet *mortalia corda* et Cod. Vindob., quasi vtramque scripturam in vnam complecti voluisset, monstrum praebet lectionis: *sacreda.* Quis autem probabile censet, vulgatam lectionem, si vera fuisset, ab vllo aliquo grammatico vel librario cum altera commutatam fuisse, quum illa formula *mortalia secla* Lucretio satis vsitata (cf. infra huius ipsius libri v. 986. 1168. 1237. et II, 1152.), haec vero alias nunquam ab eo adhibita et omnino difficilior et doctior sit? Quare recte Wakefieldum (a quo Eichstaedtius rursus abiit) *corda* praetulisse censeo, inprimis quum Virgilius quoque, assiduus Lucretii comes et studiosus imitator, Geo. I, 330. plane iisdem verbis dicat: „*Mortalia corda* Per gentis humilis strauit pauor." Iam vero si haec fuit vera scriptura, vnde altera est orta? Non, puto, a librariis originem duxit, qui in mortalibus cordibus vix offendissent, sed potius, inprimis quum in omnibus fere Codd. legatur, ab antiquiori illo Lucretii, si diis visum est, emendatore, quem praeter insolentem dictionem fortasse etiam similis verborum *corda* et *coorta* sonus male

habuit, cui difficultati mutatione illa, ex aliis locis, inprimisque e loco parallelo II, 1152. translata, succurrere studuit.

Fortasse eadem ratione huc referatur v. 1370., in quo omnes Codd. et edit. Brix. Iunt. et Ald. II. exaratum habent *locum*, in editt. vero Ald. I. et Bonon. *situm* deprehenditur, a quibus non dissentire videntur editt. Veron. et Veneta, per errorem admodum vulgarem *suum* exhibentes. Vulgatam autem lectionem *locum* non ita comparatam esse, vt vlli librario scrupulum iniicere et mutationem quandam suadere potuerit, non est vt moneam. Vnde igitur altera scriptura orta, haud dubie longe elegantior et difficilior? Ex Auancii coniectura eam in contextum illatam esse, vix aliquis sibi persuadeat, quum hic in vulgari lectione offendere vix potuerit; ergo ex vno certe antiquo MS. petita videtur, quod veram Lucretii scripturam nobis seruauerit, ita vt altera scriptura in omnibus Codicibus nobis cognitis obuia et ipsa antiqua videatur interpolatoris illius, quem statuo, correctio, omnia, quae ambigua et obscura videri possint, cum verbis formulisque claris et distinctis commutantis.

Non minori iure huc referre mihi videor VI, 108., in quo mira reperitur varietas lectionis. Omnes enim Codices nobis cogniti quum exhibeant *magnis intenta theatris*, Pius affirmat, in quibusdam Codd. inueniri *magnis intenta trachelis*; quae lectio mirificam habet commendationem, quum plane incredibile sit, librarium quendam vulgari lectioni hoc verbum substituisse, quod in Latinorum scriptis tam rarum et incognitum est, quam aptum et elegans in nostro loco, cui solus Macrobius lucem adferre potest. Hic enim Grammaticus Saturn. V, 21. varia poculorum genera et nomina describens, de carchesiis in nostris quidem Codd. haec scribit:

„Asclepiades autem, — carchesia a nauali re existi-„mat dicta. Ait enim, naualis veli partem inferio-„rem πτέρναν vocari; at circa mediam ferme par-„tem τράχηλον dici, summam vero partem carche-„sium nominari et inde diffundi in vtrumque veli „latus ea, quae cornua vocantur." Sed huic loco vitium inesse mihi non dubium videtur, quum et forma et nomen poculi, quod καρχήσιον dicitur, sicut omnis huius loci ratio cum Athenaei XI, 7, 49. comparati, aperte indicet, hic non de veli, sed de mali partibus sermonem esse, quare verissima mihi videtur coniectura: *naualis mali* pro *naualis veli*, Zeunio etiam probata. Quod si verum est, nostro in loco *trachelis* illud, vt difficilius et insolentius, etiam verius et antiquius habeo, inprimis quum constet, Lucretium verba graeca saepius in suam rem conuertisse[67]). At vero si haec statuimus, patet, etiam versum sequentem magnos passum esse mutationes, ita tamen vt vera et antiqua Lucretii verba prorsus interirent, qui vix scribere potuerit: Carbasus, trachelis (i. e. malo) intenta, inter malos trabesque iactata. Sed si omnino serior interpolator verbum *trachelis*, vtpote obscurum et insolitum, remouendum ideoque omnem locum paullo immutandum esse censebat, profecto maxime in promtu erat

---

67) Praeter locum valde lepidum et iocosum IV, 1153—1162., vbi Lucretius ad vim comicam augendam permultis verbis graecis vsus est, quibus hominum delicatorum amatorias ineptias irrideret, etiam in pluribus aliis verba graeca in suam linguam translata posuit, quae ceteri Romanorum scriptores aut nunquam, aut raro tantum vsurparunt. Sic v. c. legimus III, 119. et alibi; *harmonia*. III, 387. *pappus*. III, 967. *barathrus*. IV, 548. *bombus*. IV, 1122. *anadema*. V, 614. *Aegoceros*. VI, 444. *prester*, et l. II. v. 412.: „Ac *Musaea mele*, per *chordas organici* quae etc." fere totus e verbis graecis est compositus.

haec mutatio, quae ad singula verba ex alio Lucretii loco sumi poterat, siquidem l. IV. v. 73 ss. haec legimus:

Et volgo faciunt id lutea, russaque vela,
Et ferrugina, quom, *magnis intenta theatris*
Per malos vulgata trabesque, trementia fluctant;

ex quo tamen loco si fortasse erunt qui nostrum etiam defendant, his nihil aliud opponere possum, quam miram illam lectionem, cuius originem, nisi a Lucretio ipso scripta fuisset, equidem non diuinare valeo.

His locis quamquam plures alios eiusdem generis fortasse non minori iure addere possim [68]), tamen, quum inter argumenta a me proposita huic lectionis diuersitati ipse non adeo multum tribuam, siquidem in plurimis locis semper aliquis dubitare possit, vtrum varietas scripturae e duplici carminis recensione antiquitus iam facta explicanda, an e seriorum grammaticorum et librariorum correctione deriuanda sit, in his subsistere placet, quae tamen, ne quid deesset, non prorsus silentio praetermittenda duximus. Sic vero causis, quae suspicionem de altera Lucretiani carminis editione, antiquiori iam aetate in lucem emissa, nobis mouerunt, omnibus expositis, iam quid inde sequi nobis videatur, breuiter indicabimus.

---

68) Conf. inprimis I, 543. 645. 691. (824.) 899. 1040. 1067. II, 230. 421. (485.) 553. 576. 626. 679 et 680. 937. III, 461. 745. IV, (56.) 155. 171. 185. 247. 377. 452. 567. 616. 1194. 1218. V, 394. 415. 496. 586. (657.) 684. 783. 1020. 1144. 1220. 1229. 1296. VI, 24. 34. 101 et 102. (157.) 257. 280. 540. 549. 641. 710. 747. 804. 1193. etc., in quibus omnibus locis Hauercampi et Wakefieldi Codices tantam et tam miram interdum lectionis diuersitatem praebent, vt nonnulli eorum coniecturam nostram de omni opere susceptam vtique comprobare videantur.

His igitur argumentis accurate consideratis et perpensis, Lucretii carmina maiores fere, quam vllum aliud antiquitatis monumentum, mutationes iniuriasque passa, prorsus alia, quam quae ab initio iis fuisset, forma, plane alio colore et ordine ad nos peruenisse, neminem amplius dubitaturum puto. Iam vero si quaeritur de auctore omnium illarum repetitionum, turbarum et mutationum, hunc inter seriores grammaticos vel solos librarios quaerendum esse, supra iam pluribus de causis negauimus; quare hoc restat, vt ad priora tempora reuersi latentes huius conuersionis fontes indagare studeamus. Hic ergo in eum deuenimus locum, vbi ab Ill. Eichstaedtii vestigiis, quae hucusque saepius sequuti sumus, plane nobis decedendum sit. Putat enim Vir Celeberrimus[69]), pluribus eorum, quae nos etiam tractauimus, argumentis permotus, „duas olim Lucretiani carminis recensiones fuisse, quarum altera illud exhiberet, prout de manu auctoris exisset, inchoatum et rude, altera limatum a nescio quo multisque locis politum, non item constanti et pertinaci studio perpolitum, et hanc posteriorem recensionem ad nostram aetatem propagatam esse, ita tamen, prioris vt non omnia obliterata videantur vestigia.“ At huic opinioni multa obstare videntur, quibus potius contrarium aliquid probari censeo. Scilicet ex Ill. Eichstaedtii ratione quum sequatur, in rudioribus maxime et asperioribus locis Lucretii, in elegantioribus vero et suauioribus emendatoris manum agnoscendam esse, huic sententiae primum id aducrsari videtur, quod non solum seriores Romanorum scriptores, poetas certe fere omnes[70]),

69) de vita et carmine Lucretii p. LXXIX ss.

70) De *Manilio*, *Tacito* et *Arnobio* disputat Eichstaedtius

sed etiam aequalem *Catullum*[71]), et qui non multo post vixerunt, *Virgilium*[72]) et *Horatium*[73]) ipsos illos pulcherrimos Lucretii locos, uti nunc leguntur, imitatos esse, vel singulas loquendi formulas et dictiones ex iis delibasse videmus; quare sumendum esset, alteram illam recensionem vel emendationem aut dum Lucretius in viuis esset, aut statim post eius mortem factam esse, quorum tamen neutrum

---

l. l. p. LXXVIII. not. 34. E reliquis etiam *Lucanus*, *Silius*, *Statius*, *Ausonius*, *Claudianus* et *Iuuencus* addendi videntur.

71) *Catullus* Lucretium ante oculos habuisse videtur inprimis in carm. LXIV., notissimo illo Pelei et Thetidos Epithalamio; conf. v. c. v. 49. cum Lucr. VI, 1072.; v. 165. cum III, 626.; v. 261 ss. cum II, 618. ss.; v. 360. cum III, 643.; v. 408. cum IV, 409. etc. Sed aliis etiam in carminibus singulas certe voces Lucretio proprias adhibuit, ita vt v. c. nesciam, an in vexatissimo illo loco II, 7. 8. in mente habuerit Lucr. III, 252. 253.

72) De *Virgilio* praeter Macrob. Saturn. VI, 2. et Gellium N. A. I, 21. conf. Vrsini Virgilius collatione scriptorum Graecorum illustratus. Antv. 1568. (denuo editus a Valckenar. Leov. 1747.) et Rossaei Virgilius triumphans l. III. c. 6., qui tot Virgilii locos cum Lucretianis compararunt, vt singulis exemplis, in vna quauis fere pagina obuiis, facile supersedere possim.

73) Conf. Od. I, 7, 7. cum Lucr. IV, 3. 4. Od. I, 18, 5. et Epist. I, 7, 84. cum II, 1169. Od. I, 28, 5. 6. et Epist. I, 14, 9. cum I, 71 — 75. Od. I, 34, 5 — 7. cum VI, 281 ss. Od. II, 5, 11. 12. cum V, 1375. Od. II, 16, 7 — 12. cum II, 47 — 51. et 28. Od. II, 20, 21 — 23. cum III, 967. in loco Horatiano admodum simili; III, 18, 15. 16. cum V, 1401. Od. IV. 4, 24., si vera est lectio *reuictae*, cum I, 594. Od. IV, 11, 11. 12. cum VI, 201. Sat. I, 1, 118. 119. cum III, 951. Sat. I, 5, 101. cum V, 83. Epist. I, 16, 34. 35. cum III, 1009. 1010. etc., in quibus certe locis tanta cum Lucretianis similitudo apparet, vt Horatium inter scribendum eorum meminisse fortasse non temere colligamus.

probabile videtur. Prior enim opinio plane locum habere nequit, nisi horum alterutrum ponamus: aut Lucretium, secundum vanum illum rumorem, cui nunc nemo facile fidem habebit, in furorem actum, eo tandem insaniae venisse, vt nec ipse amplius aliquid scribere posset, nec quid libris suis fieret omnino sciret; aut poetam ipsum, suam carminum pangendorum imperitiam sentientem, alium quendam praestantiorem rogasse, vt opus suum clam et tacite emendaret, atque subtiliora philosophemata aspera et salebrosa oratione exposita flosculis quibusdam poeticis, imaginibus et comparationibus exornaret. Hoc autem non solum a Lucretii mente, sed ab omni illius aetatis cogitandi et sentiendi ratione prorsus alienum esse vix est vt moneam; quid? quod tum illi etiam loci, vbi Lucretius non sine aliqua iactantia suam carmina condendi facultatem suauesque et dulces versus a se conscriptos praedicat, qui quidem loci plerumque inter optimos et elegantissimos referendi sunt[74], ipsi ab illo benigno emendatore profecti esse debeant? Quae quum ita sint, iam de eo tantum quaerendum est, num Lucretii carmina mox post eius mortem ab alio illius aetatis poeta haud vulgari correcta et emendata esse possint? Et mihi quidem secus videtur. Primum enim qua tandem de causa hoc factum esse arbitremur? Inchoatum, inquit Eichstaedtius, et rude fuit Lucretii opus, nondum perfectum et absolutum. Hoc si ita esset, tum sane fuisset, quod poetam aliquem aequalem moueret, vt opus vix profligatum perficeret. Sed illa opinio de inchoato tantum Lucretii carmine vix videtur probari posse. Quum enim e Ciceronis ad Quint. Fr. epistola supra iam adducta appareat, vi-

74) Conf. loci nota 6. allati.

vo adhuc Lucretio carmina illa iam edita fuisse[75]), vt ab omnibus legi possent, at vero parum proba-

75) Scripta enim est haec epistola (ad Qu. Fr. II, 11.) aut a. V. C. 698., Cn. Pompeio et Licinio Crasso Coss., vt Manutius censet, aut mense Jan. a. 699., Domitio Ahenobarbo et Appio Claudio Coss., quemadmodum Schützius statuit (in edit. Epist. Cic. temporis ordine dispos. T. II. p. 163.). Iam vero quum, si dudum iam in lucem editum fuisset Lucretii carmen, quod attentam omnium mentem in se non vertere non posset, non appareret, cur nunc demum Cicero sententiam suam de opere illo cum fratre communicaret, illo quidem tempore Lucretii carmina nondum diu cognita fuisse patet. Nec tamen eodem ipso anno, quo Cicero eorum mentionem fecit, a Lucretio edita esse potuerunt. Nam quum Sosiarum similiumque hominum tabernae tum nondum paterent, e quibus quemuis librum in lucem editum cupidi legendi statim sibi parare possent, oportet tempus aliquod intercessisse, antequam carmen nostrum, Memmio proprie dicatum et propterea cum aliis non statim communicatum, pluribus exemplis describeretur, vt a Q. Cicerone legi et super eo fratris sententia rogari posset; Quintus autem m. Maio a. 697., Lentulo Marcello et Marcio Philippo Coss., e Sardinia, in quam legatus rei frumentariae causa a Pompeio missus erat, redierat Romam (Cic. ad eum Epp. II, 1 — 7. coll. cum Ep. ad Div. I, 9.) atque inde statim in villam aliquam, vt videtur, literis vacaturus discesserat (Cic. ad Q. Fr. II, 8 — 12). Quare videant viri docti, an coniecturam meam probare possint, Lucretii carmina circiter sub finem anni 696. vel prioribus mensibus anni 697., ergo inter ipsas turbas et periculosas machinationes a Clodio excitatas, quum Caesar in Gallia bellum gerere iam coepisset, atque Ptolemaeo Aulete ex Aegypto pulso et Romae auxilium implorante res ad bellum in Aegypto spectare viderentur, in lucem emissa esse; cui opinioni fauere videatur ipse Lucretius in exordio carminis sui, vbi postquam v. 30. 31. et 41. Venerem precibus innocauit, vt Martem placando *pacem* Romanis conciliet, v. 42 — 44. sic pergit:

Nam neque nos agere *hoc patriaï tempore iniquo*
Possumus aequo animo: neque Memmiì clara propago
Talibus in rebus communi deesse saluti.

bile sit, Lucretium Memmio opus illud, quo eum ad philosophiam suam adlicere studuerit, rude et imperfectum dedicaturum fuisse, opinionem illam non multum habere, quo commendetur, manifestum est. Porro etiamsi sumere velimus, insignem quendam poetam in Lucretii carmine, perfecto quidem et finito, cum Cicerone artem et philosophicum acumen agnoscentem, sed ingenium et elegantiam desiderantem, propterea tantum, vt opus iam egregium ab omni parte absolutum esset, emendationem illam suscepisse; primum mirum esset omnium veterum scriptorum de hac emendatione silentium, quae tamen nullum illius aetatis virum doctum latere potuisset, inanes etiam essent laudes ab Ouidio, Quintiliano, Statio aliisque Lucretio tributae, quae potius seriori emendatori deberentur; deinde ne sic quidem aliud quidquam proficeremus, quam vt aut orationis inaequalitas et discrepantia, quae tamen partim ex aetatis illius ratione, partim e Lucretii consilio optime deriuari potest[76]), aut versuum nonnul-

---

Haec autem si vera sunt, apparet etiam haec carmina ab ipso Lucretio superstite, non demum eo mortuo, edita esse. Licet enim de omni eius vita nihil fere certi nobis constet et ipsum annum, quo mortuus sit, diuerso modo proditum inueniamus, quum Eusebius in Chron. (fol. 77. edit. Stephan. Paris. 1512.) Olymp. CLXXI, 2. i. e. a. V. C. 703. siue 51. a. Chr. n., Donatus vero, vel quisquis antiquam illam Virgilii vitam scripsit, (p. II. ed. Burmann.) eo die, quo Virgilius togam virilem ceperit, i. e. a. V. C. 699. siue 55. a. Chr. eum obiisse dicant, ex vtraque tamen narratione illo certe tempore, quo carmen eius in lucem prodiisse supra docere conati sumus, adhuc in viuis fuisse patet.

76) Haec enim parum sibi constans orationis forma, in qua iam antiquatam obsoletamque aurea aetate dictionem cum huius ipsius aetatis formulis et vocabulis perpetua vicissitudine mixtam videmus, quae Ill. Eichstaedtium inprimis monuisse

lorum a Grammaticis allatorum defectus Codicumue varietates ita facilius explicari possent. Sed vnde ieiunae illae et artificiosae repetitiones? vnde pertur-

---

videtur, vt Lucretii carmen a seriori eoque praestantiore poeta emendatum putaret, mihi certe ad hoc persuadendum parum aut nihil valere videtur. Vixit enim Lucretius illis ipsis temporibus, quibus lingua latina Plauti, Ennii, Catonis, Lucilii, Terentii aliorumque studiis antea exculta, et iam auream aetatem modo ingressa, Ciceronis, Varronis, Caesaris et aliorum opera ad summum perfectionis gradum euehi coepit, ita vt non mirum sit, etiam in carminibus illorum temporum fluctuationis quasi inter priorum temporum duritiem et serioris aetatis elegantiam clara vestigia inueniri. Attamen quum negari nequeat, omnem Lucretiani carminis colorem, in vniuersum spectatum, magis obsoletum videri, quam illi, qua auctor vixit, aetati conueniat, aliud etiam argumentum est addendum. Casca enim et vetusta illa carminis nostri species inde inprimis videtur repetenda, quod Lucretius partim in subtiliori et grauiori poeseos genere praeter Ennii, Lucilii aliorumque priorum poetarum carmina, archaismis repleta, recentiora et politiora exempla non habuit, quae imitaretur, (quare eundem antiquitatis colorem etiam in Ciceronis Arateis inuenimus,) partim quod hunc inprimis grauitati et sublimitati argumenti sui quam maxime conuenire ratus, omnes archaismos, etiam vbi non opus erat, nimio amore amplexus est, ita tamen, vt recentiores linguae profectus non prorsus aspernaretur, sed inprimis in locis cum argumento philosophico non arcte coniunctis et suauiori tractationi aptioribus, vt in comparationibus, in imaginibus poeticis, in rebus quibusdam naturalibus describendis, libenter iis vteretur; quare nec in his locis de laetiore orationis colore mirandum, nec in philosophicis disquisitionibus de tristiori querendum videtur. Singula autem verba quod attinet et dicendi formulas, nisi aut contra ipsius Lucretii morem ex aliis locis cognitum, aut contra cuiusuis melioris scriptoris vel aetatis illius consuetudinem vsurpatae inueniuntur, de his sane difficile est iudicium, quum praeter illam, quam modo attigimus, in scribendo inconstantiam, Lucretius, linguae vernaculae egestate, de qua saepius conqueritur, coactus, multas etiam voces sibi ipse finxisse videatur,

bationes et confusiones in Codicibus? vnde verba et formae illo aeuò longe seriores? Num enim credibile est, emendatorem, qui profecto non vulgaris

---

quas ne serior quidem aliquis auctor in sua scripta recepit, multo plures vero e priorum poetarum carminibus depromsisse putandus sit, quae fata nobis non minus inuiderunt, quam plura Lucretiani operis aetati aequalia. Sic enim factum est, vt in Lucretio satis magna copia ἅπαξ λεγομένων, quae vocant, inueniatur, de quibus, vtrum a Lucretio ipso an ab alio excogitata sint, haud facile pronunciaueris. — Probe tamen ab his, quas Lucretius ipse, vt videtur, sibi confinxit, formulis et vocibus discernenda sunt vocabula inaudita, quibus ipsi editores beneuole eum locupletarunt; nam et his nonnulla verba nunc solo in Lucretio obuia deberi, vno certe exemplo demonstrare liceat. L. V. enim v. 945. vsque ad hunc diem in omnibus editt. post Lambinum emissis legitur verbum *claricitare*, e Simonis Bosii coniectura, quam, a Lambino primum receptam, seriores omnes, Wakefieldus etiam, summis laudibus extulerunt. Licet autem verum sit, hanc coniecturam proxime accedere Codicum vestigiis, hoc tamen verbum non omni solum destituitur auctoritate, sed etiam aduersatur analogiae, quod recte iam obseruauit Orellius Eclog. p. 55., primus in hoc loco offensus, et recte monens, participiorum illorum *altitonans*, *altiuolans*, *blandiloquens* etc. plane aliam rationem esse, siquidem nemo dixerit: altitonat, altiuolat, blandiloquitur. Addere etiam potuisset, quae alii fortasse in mentem veniant, verba *aequiparo*, *amplifico*, *magnifico* et similia, et ipsa, vtpote cum adiectiuis, non cum aduerbiis composita, quum dicantur pro aequum parare, amplum, magnum facere, cum hoc verbo comparari non posse. Iam vero quum Lucretius, licet nouis verbis saepius vtatur, tamen omni latinitatis vsui contraria nunquam adhibeat, coniectura illa Bosii probari non potest. Orellius suspicatur legendum esse: *Allectat late,* quae tamen lectio nimis a Codd. vestigiis recedit. Mihi simplicissima ratio videtur, vt legamus: „Decursus aquaï *Claru' citat late*," adiectiuo per apocopen literae finalis *s* adiecto, quae licet sexcenties in Lucretio occurrat, interdum tamen in aliis etiam locis causa exstitit corrumpendi. (Sic. v. c. II, 929. e vera lectione *sensibu'* factae

poeta, sed vir praeclaro ingenio et subtili venusti sensu praeditus haberi debeat, si loci illi a Lucretio ipso repetiti, luxati et perturbati fuissent, (quod per se vix cogitari potest,) eos omnes intactos reliquisse? nonne potius repetitiones illas plane resecturus fuisset, quam summo studio et artificio in iis hic ibi singula verba mutaturus? non locos sine sensu confusos et permixtos in ordinem redacturus? Etiamsi enim cum Eichstaedtio suspicari velimus, carmen Lucretianum a seriori emendatore politum quidem, sed non constanti studio perpolitum esse, quisque tamen vel aliquo pulchri sensu imbutus emendator, priusquam leuiora illa vitia orationis correxisset, vel ornatui poetico consuluisset, maiores istas labes et maculas sustulisset, inprimis quum anxiae mutationes singulorum verborum in locis repetitis, quas plerumque antiquioribus et genuinis lectionibus longe deteriores esse intelleximus, atque duplices illae et diuersissimae in vno eodemque loco lectiones, per totum opus dispersae, seriorem emendatorem non obiter tantum, sed admodum accurate et diligenter Lucretii carmen pertractasse demonstrent. Quae quum ita sint, mihi certe Celeberrimi Eichstaedtii coniectura minus probabilis vi-

---

sunt variae lectiones *sensile*, *sensibile*, etc. et VI, 1137. plurimorum librorum falsa lectio *Finibus in Cecropis* e vera scriptura *Finibu' Cecropiis* prodiit, vid. supra not. 20. p. 27.) *Clarus* autem hic esset: vndique, e longinquo audiendus, vt I, 98. Virg. Aen. V, 139. et saepius. — De aliis autem verbis singulis, quae non ab editoribus librariisue inducta, sed in plurimis libris MSS. conspicua, tamen non a Lucretio profecta esse possint, quippe quae vel eius in scribendo rationi vel bonae latinitati omnino aduersentur, supra iam passim dictum est in disputatione de locis ob repetitiones vel ob sensum et ipsam orationem suspectis.

detur. Omnia enim argumenta supra exposita 77) eo potius ducere videntur, vt credamus, Lucretii carmen serioribus demum temporibus ab homine, siue ingenium, siue poeticam facultatem spectes, ipso auctore longe inferiori recognitum, permultis in locis mutatum, interpolatum et correctum, atque ita longe alia forma, quam ab ipso Lucretio accepta, ad nostra tempora propagatum esse.

Tria autem iam restant, de quibus, vt probabilior fiat nostra opinio, quantum fieri poterit, hic disputandum videtur: causa nimirum et origo alterius recensionis, tempus, quo confecta videatur, et ratio, qua factum sit, vt vtriusque editionis vestigia ad nostram aetatem transferrentur. Haec autem omnia quum natura sua ita comparata sint, vt a nobis, historiae auctoritate carentibus, nihil certi et indubitati de iis dici possit, hic etiam ad coniecturas modo erit confugiendum, quae non omnino repudiandae videantur.

Quum igitur post Lucretium, quantum nos quidem scimus, nullus alius inter Romanos exstiterit scriptor, Epicureorum sectae deditus, qui aut omnem horum philosophiam, aut singula eius capita singulari quodam opere denuo tractaret, atque igitur omnibus Romanis, qui hanc philosophiam amplecterentur, nec Graecis literis edocti ipsius Epicuri et

77) Haec eadem vero argumenta aduersantur etiam Spaldingii suspicioni (supra p. 88. commemoratae), Lucretium ipsum carmen suum bis edidisse, quam et temporum ratio refutat. Quum enim ex iis, quae modo nota 75. disputauimus, apparere videatur, Lucretium carminis sui editioni vel tres vel summum sex annos superstitem fuisse, profecto non credibile est, illa aetate, qua, arte typographica nondum inuenta, libri cuiusdam repetita editio non minimis difficultatibus coniuncta fuit, intra tam breue temporis spatium repetitionem operis iam mutati locum habuisse.

sequutorum philosophorum scripta adire possent, Lucretii carmen vnus et limpidissimus fons Epicureorum de rebus physicis placitorum manserit; non omni caret similitudine veri, serioribus temporibus, quibus literae Romanorum iam magis magisque laberentur, morum vero communis deprauatio, cui voluptaria illa philosophia maxime fauebat, plures, quam vnquam antea, sectatores ei conciliaret, ab his Epicuri asseclis Lucretii, antesignani sui inter Romanos, nouam recensionem optatam esse, idque eo studiosius, quo magis aetatis suae ratio et doctrinae suae modulus postulabat, vt poetae iam a Quintiliano (Inst. Or. X, 1.) difficilis iudicati lectio sibi expeditior redderetur remouendis obsoletis et ad intelligendum iam non apertis, difficilibus et obscuris illustrandis, vitiis etiam, quae temporum decursu ab imperitis librariis illata essent[78]), corrigendis et emendandis. Hanc igitur alteram recensionem vere factam, sed ab homine susceptam puto, ad hoc opus perficiendum non satis apto, qui, Epicuri quidem philosophiae toto animo et mente deditus et in Lucretii opere quam maxime versatus, sed ingenio et elegantiae sensu fere omni destitutus et a poetica facultate parum instructus; in Lucretii carmine retractando nihil aliud spectaret, quam quomodo, pulchritudine eius in clarissima luce posita, aequalibus suis omnia quam facillima redderet et vel minima quaeque diligentissime inculcaret, qua tamen in re, ipse non vbiuis magistrum suum recte intelligens, haud semel laberetur. Illud autem vt efficeret, praeter locos nonnullos, qui sibi aliisue pulcherrimi

78) Magnas enim inter veteres ipsos iam motas esse querelas de Codicibus admodum vitiose scriptis, ex eorum locis apparet, quos supra nota 8. attuli.

viderentur, ad carminis suauitatem lectorumque delectationem augendam bis terue repetitos, primum multa eum puto addidisse, vbi ipsi aliquid deesse, vbi connexus ratio paullo difficilior videretur, vbi rebus a Lucretio tractatis ab accuratioribus explicationibus, ab aliis quibusdam argumentis, ab exemplis luculentioribus nouam aliquam lucem accessuram speraret. Et in hac quidem re eum ita versatum esse duco, vt primum videret, anne fortasse alio quodam Lucretii loco aut prorsus iisdem verbis repetito aut cum mutationibus quibusdam, quas vel sententiae diuersitas efflagitaret, vel variationis suauitas commendaret, iterum adhibito consilium suum exsequi posset, deinde vero, si frustra quaesiisset, ipse nonnulla adderet proprio Marte composita, in quibus tamen, omnibus, quae posset, Lucretii verbis et formulis assumtis, Cari nostri dictionem imitari anxie studeret. Porro nonnulla etiam, quae aut ipse non intelligeret, aut ab aliis non recte intellectum iri putaret, vel quae ipsi pro sua ratiocinatione minus placerent, prorsus omisisse sumendus est, ita tamen vt interdum alia iis substitueret, aut aliunde petita aut e suo ingenio profecta. Non minus etiam ordinem et connexum sententiarum hic ibi mutasse singulisque argumentis et exemplis alium, quam quo a Lucretio posita erant, locum attribuisse et alio modo, quam antea factum erat, ea coniunxisse mihi videtur. Denique permultis in locis singulas voces et locutiones, quas vel obsoletas et antiquatas, vel difficiles intellectu iudicaret, vel rebus tractatis non satis accommodatas haberet, vel quae vlla alia de causa sibi minus probarentur, immutasse putandus est, ita vt haud raro formulis et vocibus elegantissimis et poeta quam maxime dignis e contextu remotis pedestria et vulgaria atque adeo falsa et a bona latinitate aliena substituisse videatur. Quae omnia argumentis et exemplis supra positis

ita demostrasse mihi videor, vt iam diutius iis inhaerere non opus sit.

A causa et ratione repetitae recensionis ad tempus, quo perfecta putari possit, progrediendum est; qua in quaestione non minus quam in illa priori in coniecturis subsistendum esse, nemini mirum videbitur. Quum enim nullum plane adsit testimonium in historia positum et fide dignum, quod de certo tempore alterius editionis cogitari patiatur, ante omnia termini temporis vtrinque constituendi videntur, intra quos ea effecta esse possit. Et primum quidem si vera sunt, quae de Macrobio in antecedentibus disputauimus[79]), iam ante huius grammatici aetatem alteram recensionem editam esse patet, quam opinionem alia etiam argumenta probabilem reddunt. Licet enim Seruium, Macrobio aequalem, aut non multo maiorem annis (Macrob. Saturn. I, 2.), prioris editionis a Lucretio ipso profectae plura vestigia nobis seruasse supra viderimus[80]), tamen huius temporibus, i. e. seculo IV. exeunte et ineunte V. alteram recensionem iam adfuisse nullus dubito. Vix enim verisimile est, his temporibus aliquem de Lucretio Epicureo innouando cogitasse, eiusque iteratam editionem in lucem edidisse, quo philosophia epicurea iam dudum abiecta iacebat, siquidem viri docti, qui christiana sacra colebant, ab ea non poterant non abhorrere, qui autem deorum cultum retinebant, vnice platonicam disciplinam, quae tum dicebatur, sectabantur. Accedit porro narratio quaedam Eusebii, quam, etsi ex parte falsam et reiiciendam, non tamen omnino spernendam esse dixerim. Constat enim hunc scriptorem in Chronicorum

---

79) Conf. p. 26 s. et p. 79. not. 44.

80) Vid. p. 78 — 83. et 84 s.

illo loco[81]), quo Lucretium Olymp. CLXXI, 2. natum esse perhibet, simul nobis prodere, aliquot eius libros, per interualla insaniae conscriptos, postea a Cicerone esse emendatos. Iam vero licet Ciceronem Lucretii carmina expoliisse, emendasse et auxisse pluribus de causis[82]) non credibile videatur, tamen, vt in omnibus fere eiusmodi fabulis, aliquid certe veri huic narrationi inesse vix aliquis dubitabit. Suspicor igitur cum Eichstaedtio, hac narratione vagi rumoris contineri vestigia, traditione propagati, prioribus iam temporibus Lucretii libros ab alio quodam emendatos, vel potius mutatos esse, ita vt non in nomine emendatoris haerendum, sed omnino tantum de seriori Lucretiani carminis mutatione cogitandum sit. Hactenus vero Ill. Eich-

81) Vid. not. 75. sub finem. Verba ipsa Eusebii vel potius Hieronymi iam enotauit Fabricius Bibl. Lat. I. p. 74. ed. Ern.

82) Meineckius in diss. praemissa de Lucretio p. 21. et Eichstaedt. in Comment. de vita et carm. Lucr. p. LXXXIV s. inprimis vrgent ipsius Ciceronis silentium in epistola illa ad Quintum fratrem, vbi de Lucretii carminibus iudicium suum profert; atque Eichstaedtius, omnia circumspectans, addit, si serius curam suam Lucretii operi impenderit, (quod sane statuendum putarem, si omnino hac de re cogitari posset,) mirum esse, cur reliqua eius scripta, cur aequales etiam hanc rem taceant; quod Meineckius etiam sensit, ad VI, 395 ss. rectissime, vt mihi quidem videtur, obseruans, Ciceronem, qui in l. II. de diuin. c. 19. aperte ante oculos habuerit hunc Lucretii locum, si Cari nostri carmina ipse emendasset et expoliuisset, hic illius versus allaturum et, quum de suis studiis operibusque satis magnifice sentiret, curam suam Lucretio nauatam praedicaturum fuisse. Sed praeter has caussas ea etiam, quae supra disputauimus de interna seriorum mutationum indole et de omni carminis Lucretiani, quale nunc est, conditione, aperte nobis demonstrare videntur, vti omnino non a scriptore quodam aurei aeui Lucretio ipso elegantiore et praestantiore, sic etiam non a Cicerone Lucretii carmina correcta cogitari posse.

staedtio libenter adsensus, non tamen hunc rumorem ipsius suspicioni opitulari puto, Lucretii carmen non diu post quam ab ipso auctore editum fuerit, a meliori aliquo poeta vere emendatum esse, quod supra iam pluribus de causis negandum duxi. Licet enim verum sit, non paucis aliquot lustris ante Eusebium hoc factum cogitari posse, quod a Cicerone actum esse dicit, profecto tamen non trium seculorum spatio opus erat, vt vera narratio de seriori emendatione vel secunda recensione in falsum illum rumorem aberraret et deprauaretur, quum nostris etiam temporibus sciamus quam falso et peruerse saepe enarrentur, quae ante centum et quod excurrit annos gesta sunt, ita vt minime offendendum sit in Eusebii testimonio, etiamsi v. c. vnum tantum et dimidium seculum praeterlapsum fuerit, ex quo Lucretii carmen a seriori manu plurifariam mutatum esse debeat cogitari. Ciceronis enim nomen quod attinet, non necessario inde sequitur, ei aequalem fuisse Lucretii emendatorem, quum facile suspicari possimus, seriorum temporum Epicureos, vt huic alteri carminis nostri recensioni maiorem auctoritatem vindicarent, celeberrimo illi Romanorum scriptori eam tribuisse. Sic igitur si suspicor, hanc alteram Lucretii editionem circiter post medium seculum a Chr. n. secundum, aut tertio eius quadrante Antonino Philosopho imperante perfectam esse, illa Eusebii narratio non omnino repugnare videtur[83]). Hoc vero vt statuam, his fere moueor causis. Primum haec tempora, quibus literae mox interiturae

83) Multo minus vero in hac narratione haerendum sit, si sumamus, eam non ab ipso Eusebio, sed ab Hieronymo centum fere annis post literis mandatam esse, quod, quum hunc Eusebii interpretem plura e suo penu addidisse constet, minime temerarium videri possit.

per breue tempus denuo reuirescebant et studiosius colebantur, quibus inprimis studium philosophiae, ipso imperatore praeeunte, acrius agebatur, et multi virorum doctorum Epicuri placita vel amplectebantur vel aperte profitebantur[84]), aptissima erant ad Lucretii carmen instaurandum et noua editione huius aetatis rationibus adaptata aequalibus denuo commendandum; inprimis quum constet, his temporibus multos vixisse, qui alia etiam veterum scripta retractarent, in breuius contraherent et excerperent, denique suae aetatis indoli et necessitatibus accommodarent. Deinde vero non minimum huc facere videtur Gellii et Nonii Grammatici auctoritas, quos alteram Lucretii recensionem nondum cognouisse pluribus e rebus patet. Hic enim non solum, vt seniores etiam Grammatici, plures Lucretii locos adfert, quos nunc in carmine eius frustra quaesiueris vel plane aliis verbis conceptos inueneris[85]), sed quod sane non negligendum videtur, inter centum et plures locos, quos e Lucretio depromsit, ne unus quidem est eorum, quos in hoc libello vtpote serius adscriptos aut indicaui, aut certe non minori iure adferre potuissem; idemque si e locis in nostris Codicibus bis repetitis eundem versum saepius adfert, semper ex eodem libro et eo quidem, quo optime se habet, eum laudat[86]). Gellius autem certe silentio suo in loco illo N. A. I, 21., vbi „Virgilium non sola verba, sed versus prope totos et locos plurimos Lucretii, poetae ingenio et facundia praecellentis,

---

84) Conf. Diog. Laert. X, 9. et Lucian. Eunuch. §. 3. (Tom. V. p. 206. ed. Bip.), quos adfert Celeberr. Krugius in: Geschichte der Philosophie p. 402. not. f. et ipsos Epicuri philosophiam amplexos videri statuit ibid. p. 400 s. not. c. et e.

85) Conf. supra p. 59. 83. 85.

86) Vid. exempla p. 24. proposita.

sectatum esse" dicit, demonstrare videtur, se de altera Lucretii editione nihil dum compertum habuisse [87]. Iam vero quum vtrumque scriptorem Antoninorum tempore degisse vix dubitari possit, non ante seriores Marci Aurelii annos haec altera recensio perfecta sumi posse videtur.

Tertium denique restat, vt dicamus, quomodo effectum sit, vt vtriusque recensionis vestigia simul nostris temporibus relicta inueniantur. Hoc autem partim per grammaticos contigisse, partim in ipsis Lucretii codicibus deprehendi antea vidimus. Et primum quidem quod grammaticos attinet altera recensione seriores, non mirum videri potest, alios, inprimis qui non adeo diu post illa tempora vixerint, quibus Lucretii carmen iterum editum videri

---

87) Dicet fortasse aliquis, opinioni meae de altera recensione Gellii temporibus recentiore aduersari eius locum I, 21. sub finem, vbi disertis verbis *e quarto* Lucretii libro adferat verba illa: „Dilutaque contra Quum tuimur misceri absinthia tangit amaror," quae ego supra p. 28. cum omni loco IV, 218 — 230. a seriori demum secundae recensionis auctore e libri VI. *) v. 923 — 935. male in quartum librum translata esse dixerim. Huic vero respondeo, omnem illum Gellii locum; „Verba ex quarto Lucr. — — amaror" spurium esse et serioribus demum temporibus adscriptum, quum et Carrio et Gronouius nec volam nec vestigium eius in Codd. repererint. Simili liberalitate etiam in alio Gellii loco X, 26., vbi Lucretius laudatur, veteres editt. omnes hunc scriptorem quatuor Lucretii versus (IV, 529 — 532. Corpoream — clamor) attulisse volunt, quum tamen in omnibus MSS. duo tantum postremi inueniantur (531 et 532. *Praeterea* radit — clamor).

*) Per vitium typographicum ibi IV. excusum est. Omnino autem doleo in priores maxime plagulas plura irrepsisse menda, quum, typothetarum diligentiae nimium confisus, ab initio singulas chartas, priusquam imprimerentur, tertium accurate perlustrare negligerem; quare lectores, vt veras lectiones in calce libelli indicatas non praetermittere velint, humanissime rogo.

INDEX
LOCORUM LUCRETII,

QUI IN HOC LIBELLO IUDICANTUR, EXPLICANTUR, EMENDANTUR.

(De locis, quibus asteriscus praefixus est, obiter tantum agitur.)

LOCI INCERTI A GRAMMATICIS COMMEMORATI.

ADDENDA ET CORRIGENDA.

P. 2. lin. 24. lege *subliment.* p. 8. l. 29.: *Vol. II, p.* 12 *ss.* p. 11. l. 15. post 723. pone; et dele signum =. p. 12. l. 16.: *mandata.* p. 14. l. 19. lege 49. et post 73. pro signo parenthes. pone comma. ibid. l. 23.: *XIX*, 9. ibid. l. 24.: *II*, 433. ibid. l. 31.: *XXVIII*, 9. p. 16. l. 14.: *quae V*, 529. ibid. l. 28.: *quadam.* p. 17. l. 6.: *Voss. I.* (*in quo tamen e. m. d. e.*). ibid. l. 10.: *Voss. I. et Bodl.* p. 19. l. 24.: *earum.* p. 25. l. 6.: 93. p. 28. l. 7 ss. dele verba *inprimis — dacui etc.* ibid. l. 14.: *VI.* p. 30. l. 4.: 525. ibid. l. 20.: 1214. ibid. l. 25.: *quam quom.* p. 32. l. 11. pro 221. l. 521. ibid. l. 16.: 569. *fiunt — geruntur.* p. 51. l. 4.: *multis.* p. 53. l. 4. a fine: 86—88. ibid. l. vlt. dele: *et Iuntina.* p. 59. (cuius numerus falso 95. expressus est.) l. 21.: 846—857. ibid. l. vlt.: 397. p. 63. l. 4.: *e posteriori loco.* p. 71. l. vlt.: *inueniri.* p. 72. l. 23.: *V*, 359. p. 73. l. 28.: 197. p. 77. l. vlt.: *Longinque.* p. 78. l. 7. *possit.* p. 80. ad l. 8—19. addo tantum, si quis putet, Seruium his verbis respexisse Lucr. I, 10 ss., me non acriter esse repugnaturum. ibid. l. 13.: 796. p. 88. l. 14.: *lectionem.* ibid. l. 5. a fine: *II*, 2, 16. p. 90. l. 2. a fine: 786. ibid. l. vlt. dele: *I*, 746—786. p. 94. l. 6.: *reddat.* p. 102. l. 26. post 670. adde: *IV*, 74. 75. p. 105. l. 20.: *editt.* p. 124. l. 24. *quibus.* p. 127. l. 3. a fine adde: *Vid. etiam Gassendus de vit. et mor. Epic. l. II. c.* 6. (*p.* 50 *s. ed. a.* 1656.) *qui e Luciano, Galeno, Simplicio aliisque plures adfert illorum temporum Epicureos, a Fabricio quoque in Catal. Epicureorum* (*Bibl. Gr. T. II. p.* 808 *ss.*) *receptos.*

diximus, exemplo prioris editionis, alios vero, serioribus maxime temporibus degentes, alterius recensionis libris vsos fuisse; ita vt minime offendere possit, quod Festum, Seruium, atque seriores adeo Charisium et Isidorum prioris recensionis vestigia seruasse, Macrobium vero ea, quae posteriori tribuenda videantur, attulisse cognouimus. Licet enim noua carminis Lucretiani recensio iam adesset, non tamen omnia statim prioris exemplaria seposita et sublata esse, ideoque exempla vtriusque editionis iuxta in vsu fuisse, donec antiquiora sensim sensimque prorsus euanescerent, per se consentaneum est; grammaticorum vero silentium de duplici eaque diuersa carminis nostri recensione facile mihi videtur explicari posse ex rei literariae illis temporibus ratione, vbi libris scribendo multiplicatis et magno pretio diuenditis bibliothecae non ita comparatae esse potuerunt, vt viris doctis plura eiusdem scriptoris exempla habere et inter se conferre liceret. Paullo difficilior quaestio est de codicibus, neque tamen ea, cui plane responderi nequeat. His enim nostris temporibus nullum reliquum, vel certe adhuc cognitum esse librum, qui priorem Lucretii ipsius editionem haud mutatam nobis seruet, sed omnes alteram tantum recensionem, prioris tamen vestigiis magis minusue conspersam, nobis exhibere, mihi non dubium videtur, neque est, cur haec res mira censeri debeat. Quum enim omnium codicum Lucretii, quos nunc vere in bibliothecis asseruari vel collatos esse scimus, ne vnus quidem mille annorum aetatem attingere videatur, imo plurimi admodum recentis sint originis 88), non a similitudine

88) Omnino dolendum est, Lucretii editores, si forte Hauercampum, Alterum et Wakefieldum exceperis, de Codicibus a se adhibitis nihil certi nobis prodidisse, atque illos

veri recedit, si sumimus, longo illo temporis spatio inter alteram Lucretiani carminis editionem et nostrarum membranarum originem elapso Lucretii Codices permultas passos esse mutationes nec vllum exemplar MS. nobis cognitum e veterrimo aliquo libro descriptum esse, quod aut ipsius Lucretii autographum, aut alteram eius recensionem pure contineret. Quare potius mihi suspicandum videtur, iam ante Codicum nostrorum tempora quosdam Lucretii libros alteram recensionem exhibentes comparatione antiquiorum librorum, e communi clade seruatorum, qui Cari ipsius verum autographum exhibuerint, ita correctos, auctos et suppletos esse, vt discrepantes lectiones vel versus omissi et mutati in margine adscriberentur, versus additi autem obelo vel asterisco notarentur, vnde in Codicibus serius scriptis duplicis recensionis lectiones et variationes miro modo confusae hunc denique contextum efficerent, qui nunc in Codicibus appareat. Quae si statuimus, intelligitur etiam, cur non omnes Codices eadem vetustioris formae vestigia seruent, sed alii alia, nunc plura, nunc pauciora nobis praebeant. Facile enim qui hunc libellum accuratius perlegerit animaduertet, prae ceteris inprimis Pii Codices, vtrumque Vossianum, Vindobonensem et tres Musei Britannici lectionibus suis suspicionem de duplici recensione tueri, rarius vero in Cantabrigiensi, Bodleiano, Pooriano et Gottorpiensi inueniri, quae in eam capiendam inducant. Neque hoc praeter exspectationem accidit, quum illi ipsi Codices, quos superiori loco

---

etiam, quos dixi, viros doctos nonnulla de iis, quae scire nostra interesset, reticuisse, ita vt, qui indicem Codicum exhiberi velit, nomina quidem viginti pluriumue librorum MSS. ab editoribus adhibitorum commemorare, sed vix de dimidiae partis aetate et pretio aliquid certius prodere possit.

posui, vel antiquissimi sint omnium, vel ex libris vetustissimis descripti videantur[89]), ita vt plura in iis, quam in ceteris, prioris recensionis vestigia inueniri satis consentaneum sit. Librarios vero horum Codicum eiusmodi membranas ante oculos habuisse, quae aliorum Codicum diuersas lectiones iam ipsae adscriptas habuerint, praeter locos supra tractatos, in quibus vtramque scripturam simul seruarunt, ex iis etiam apparere censeo, vbi, quamnam inter duas lectiones ponerent, vt videtur, dubii, aut totos versus et integra verba omiserunt, aut dimidias tantum voces posuerunt, ceteris literis, quibus varietas inerat, omissis[90]).

Sic igitur argumentis nostris ipsis et, quae ex iis sequi nobis videbantur, suspicionibus de causa, origine, tempore et propagatione alterius, quam Lucretiana carmina experta sint, recensionis pro viri-

89) Codices enim, quos iam ante tria secula Pius semper prisca et antiqua exemplaria vocauit, non adeo recentes cogitari posse, non est vt moneam; quod autem libros Vossianos attinet, hos et ipsos certe inter eos, de quibus paullo certius nobis constat, antiquissimos esse, et eorum lectiones et quae Hauercampus de iis praedicat, demonstrant. Codicem denique Vindobonensem et tres Musei Britannici libros e membranis admodum vetustis descriptos puto, quod inprimis de Wakefieldi Codice II. paullo certius dicere posse mihi videor. Non enim permira tantum vitia his Codd. impressa, ostendere videntur, librarios imperitos in exemplis a se describendis non vbique, quid vetustae formulae scribendiue compendia sibi velint, diuinare potuisse, sed, quod Cod. Mus. Brit. II. attinet, etiam quod Wakefield. de eo refert in praef. p. X. edit. prior. et e sexcentis locis apparet, orthographiae scilicet vetustioris prae ceteris omnibus tenacissimum esse, hunc librum ex antiquissimo exemplo descriptum demonstrant.

90) Conf. supra p. 95. et 108. atque Wakefield. ad I, 1067. II, 421. IV, 616. 1194. VI, 157. etc.

bus nostris expositis, nihil restat, quam vt aequos huic periculo petamus iudices, qui in disquisitione permultis difficultatibus obnoxia summam tantum rei ante oculos habeant, argumenta nostra coniuncta spectantes, nec de singulis quibusque locis nobiscum litigantes, in quibus forte errasse libenter concedimus, et qui de re in coniecturis posita, quae vix vnquam prorsus ad liquidum perduci poterit, certum iudicium, euidentem dictorum veritatem et indubitata argumenta non postulantes, his interea beneuole mecum vtantur, quibus etiamsi aliorum tantum in hanc rem attentionem conuertero, occasione meliora proferendi iis suppeditata, habebo, de quo magnopere mihi gratuler.

NB. Die Car